

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLVII. Jesus Quaestionem De Christo Pharisaeis Proponit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

iam Christus ipsum adhuc à regno Dei abesse docet. Apparet autem ex his Christi verbis. 1. Esse quidem gradum non contemnendum ad regnum Dei, rectè intelligere legem, interim tamen requiri insuper, ut Christus ex Evangelio rectè agnoscat & fide apprehendatur: *Christus enim est finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10. v. 4. 2. Illum non longè abesse à regno Dei, qui veritatem promptè amplectitur, & affectu animi discendi cupidum, qui agnoscit, dilectionem omnibus sacrificiis anteferendam, ac paratus est Deum & proximum pro virili diligere. 3. Illum esse *in regno Dei*, hoc est, inter cives hujus regni locum habere, qui *ἀδυναμία* implendi legem rectè intelligit, verè in Christum credit & ex fide Deum & proximum diligit. 4. Illos longissimè à regno Dei abesse, qui Ceremonialia operibus moralibus præferunt, qui juxta traditiones humanas vel proprii cordis ad inventiones Deo servire cupiunt, qui justitiæ propriæ opinione fascinati justitiam Christi in Evangelio oblatam repudiant, qui præcepta de dilectione Dei & proximi pedibus conculcant, qui veritati pertinaciter reluctantur, &c.

Tandem subjungit Evangelista, *quod nemo post illa ausus fuerit Christum interrogare. ἐκεῖν ἀμπίως* abundat negatio ex idiotismo Græco, *ἐδείξ ἐκεῖν ἰστούμα.* Vulgata reddidit, *jam, ac si poneretur pro*

ἦδη. Erasmus *post illa, ac si poneretur μετὰ ταῦτα.* Postquam hic Scriba, qui omnium opinione erat legis divinæ peritissimus, & in quo certaminis quasi *ἀκμὴ* erat collocata, non solum fuerat à Christo victus, sed etiam propriâ confessione veritatis & victoriæ palmam ipsi tribuerat, reliquorum omnium ora sunt oclusa, ita ut *nemo eum amplius auderet interrogare*, hoc est, insidiosis quæstionibus tentare, ne plus ignominie quam gloriæ apud populum præsentem & audientem ex eo referret. Ut enim Duce militiæ victo & capto reliqui milites sponte sese dedunt, sic omnes reliqui Scribæ, Pharisei, Sacerdotes, Seniores &c. hujus Scribæ, quem in hac acie contra Christum educta quasi capitaneum elegerant, approbationi sese submiserunt. Videbant se frustra eum tentare, quem nemo poterat superare; frustra eum impetere, quem nemo poterat deicere; frustra adversus eum insurgere, quem nemo poterat confundere: relictis igitur quæstionum tendiculis de aliis Christo injiciendis vinculis deliberant. Ut autem Christus hoc loco gloriosum ab hostibus in hoc verbali certamine triumphum retulit: ita in passione & morte paulò post infecuta à Diabolo & tota potestate infernali in certamine illo verè & maximè reali itidem gloriosam retulit victoriam, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria in seculum.

CAPUT CLVII.

JESUS QUÆSTIONEM DE CHRISTO PHARISÆIS PROPONIT. MATTH. 22. VERS. 41. MARC. 12. VERS. 36. LUC. 20. VERS. 41.

RATIO ORDINIS.



Quæstioni de maximo legis mandato à Scriba quodam Jesu propositæ unanimi consensu Evangelista subjiciunt quæstionem ab ipso Jesu propositam Phariseis de Christo, *cujus sit filius.* Dixerat Matth. v. 34. *Phariseos, postquam audissent silentium Sadduceis fuisse impostum, convenisse in unum & unum ex eis Christum de maximo legis mandato interrogasse, v. 41. addit: Congregatis autem Phariseis interrogavit eos Jesus, hoc est, cum quæstioni Phariseorum à Christo esset satisfactum, ipsique in templo adhuc congregati starent, Christus ἀποκρίσας proposuit ipsis quæstionem. Marcus eodem modo seriem Historiæ connectit: Nemo ulterius audebat Christum interrogare, inquit v. 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo. Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Davidis? ubi *καὶ* ponitur pro particula adversativa, ut apparet ex Luca, qui ejusmodi connexionem monstrat: non amplius audebant eum quicquam interrogare, dixit autem ad illos, &c. hoc est, ipsi quidem non audebant ulterius quæstionibus illum exercere, sed ipse interrogavit adversarios suos, ut par pari reponeret. August. lib. 2. de conf. Evang. cap. 174. Lucas de illo tacet, qui interrogavit Dominum, quod esset mandatum primum in lege. Hoc autem prætermisso eundem etiam ipse ordinem servat Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.*

(quem Matthæus & Marcus) & hoc de Christo, quomodo sit filius David, quæ sibi à Judæis Dominum pariter narrat. Potest autem hæc Historiæ series de multis utiliter nos monere. Hilarius can. 23. in Matth. putat hanc quæstionem à Christo propterea adjectam, ut ostenderet, quis nomine proximi in præcedente dilectionis mandato sit intelligendus. Ut legis ipsius (inquit) verbis argui possent, & de proximo manifestior intelligentia panderetur, requirit, quid illis videretur, Christus cujusnam filius futurus esset. Sed ostendimus superius, nomine proximi rectius intelligi quemvis hominem Naturæ communione nobis propinquum. Alia igitur connexionis ratio quærenda. 1. Pharisei, Sadducei & Scribæ hæcenus conati fuerant Christum variis modis illaqueare, nimirum quia existimabant ipsum esse merum ac nudum hominem, Christus igitur hac quæstione suam divinitatem ipsis demonstrare voluit, ut intenderent, contra quem quæstionum suarum spicula hæcenus direxerint, quæ sapientiæ victi fuerint & confusi. Autor operis imperf. homil. 42. *Judei æstimante hominem Christum tentabant, nec enim tentassent eum, si filium Dei credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia non erat (nudus) homo, qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifestè*

nifestè veritatem de se, nec tacere. Dicere enim non poterat, ne majorem occasionem blasphemie invenientes Judæi insani- rent amplius. Tacere autem non poterat veritatem, qui ad hoc venerat, ut veritatem annuntiaret. Ideo talem interrogationem eis proposuit, ut eo tacente ipsa ejus interrogatio ostenderet eis, quia non erat homo, sed Deus. Stapulensis in cap. 22. Matth. Cum toties tentantes & interrogantes suos adversarios Christus vicerit, tandem ostendit eis, quis ipso vicerit. Nam Filius Dei sedens in dextra Patris sic visibilis mundo, carne velatus & verus homo pro hominibus factus apparuit, ut tamen Patris dextram non reliquerit; ut & quinam ipsi essent, videlicet inimici sedentis in dextra Patris, sic eos de sua divinitate & eorum quidem salutis causâ, nisi cæcâ mente fuissent, instruens.

2. Priusquam hanc quæstionem moveret, dixerat Christus, hoc esse primum & maximum in lege mandatum, audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, ac Scriba hoc responsum Christi suo comprobaverat suffragio: Bene Preceptor cum veritate dixisti, quod sit unus Deus, & quod non sit alius præter illum. Ne quis igitur ex his verbis occasionem sumeret statuendi, ex eo, quod unus dicitur Deus, inferri posse, Messiam, de quo Prophetæ toties vaticinati sunt, quemque Judæi tam cupidè expectabant, non esse verum Deum, ideò Christum hanc disputationem instituit de Messia, ostendens, eum non solum esse Davidis filium & verum hominem, sed etiam Dei filium & verum Deum.

3. Fuit hic ultimus Christi sermo ad Phariseos ante passionem habitus, quod enim ex vinculis postea respondit, de eo propriè hoc loco non agitur. Quare cum proximè instaret passionis tempus, voluit gravissimum eorum errorem, quo Christum nudum hominem esse stantebant, prius corrigere, atque omnem excusationis prætextum ipsis auferre, ex sacris literis docens, Messiam in personæ unitate & filium & Dominum Davidis, hoc est, *Ἰεσὺν* esse. Theophylact. in c. 12. Marc. Quia Christus ad passionem venturus erat, opinionem corrigi- gitur ostendit, hanc non esse causam odii fati- stiam, cum de Messia hoc ipsum per Davidem sit prædictum. Chrysolom. homil. 72. in Matth. Considera diligenter atque perpende, quia post multa miracula & signa, post multa responsa vitro citrog, data, post argumenta aequalitatis cum Patre complura, post doctrinam verbo & opere rutilantem, post laudem ipsius, qui unum Deum esse asseruit, tandem interrogat. Nam ne dicere possent, miracula quidem ab eo facta fuisse, legi autem contrarium & Deo adversarium extitisse, idcirco post tot tantaque interrogat, occultius eos inducens, ut se Deum profiterentur.

4. Evangelistæ hæcenus commemorarunt, Christum ad quæstiones ab aliis sibi propositas solertissimè respondisse, jam ostendunt, ipsum pari industriâ etiam aliis quæstiones proposuisse, ejusdem enim sapientiæ est, scitè interrogare, & ad aliorum interrogata scitè respondere. Sic ergo Christus pluribus adversariorum sibi invicem lucenturiantium quæstionibus impetitus æquissimo jure vicissim ipsis quæstionem proponit, ac quos propriis ipsorum armis, hoc est, iisdem quæstionibus, quibus ipsum vincere parabant, jam ante vicerat, eos etiam porro suis armis subjugare pergit, propositâ ipsis de Messia quæstione. Non tamen proponit ejusmodi insidiosam & captiosam quæstionem, quales Phariseorum esse solebant, sed utilem & necessariam, ipsum salutis fundamentum concernentem, sed quia jâd eam ob Scripturarum incitiam respondere nõ poterant ac veram ejus explicationem à Christo perere erubescerent, inde tacendo sese victos & prostratos confitentur.

5. Pharisei per Scribam quæsierant de maximo mandato, persuasi enim erant, nostram coram Deo justitiam & salutem ex perfecta legis impletione sperari posse, eamque homini post lapsum adhuc esse possibilem. Sed Jesus quærit de Messia in Veteri Testamento promisso, quid de ejus persona statuendum, eo ipso innuens, justitiam & salutem non in operibus, sed in fide Christi unice quærendam, utpote qui credentes in ipsum liberaturus sit à maledictione legis, cui propter illius transgressionem omnes homines sunt obnoxii, quique ad redemptionis opus præstandum futurus sit idoneus, quippe non Davidis tantum filius & verus homo, sed etiam Dei filius ac verus Deus in personæ unitate futurus. Hac ipsa ergo connexionis serie ostendit, requiri quidem ad conversionem, justificationem & salutem, legis notitiam, videlicet ut extremam Naturæ corruptionem & *ἀδυναμίαν* agnoscamus, & ad animarum Medicum quærendum excitemur, ac normam bonorum operum post conversionem & justificationem præstandorum habeamus, cumprimis verò requiri notitiam Evangelii, hoc est, doctrinæ de Christo, *cujus sit filius*, hoc est, quis sit ratione personæ, quod ipsius officium, quæ beneficia ab eo speranda. Necessarium proinde esse, ut qui justitiæ coram Deo valentis & salutis participes fieri cupiant, Christum Mediatorem ex Evangelio agnoscant, in ipsum credant, & in eo quærant, quod in lege propter *ἀδυναμίαν* carnis nostræ inveniri non potest Act. 13, 38. Rom. 8, 3, &c. 6. Salutaris passionis fructus vel maximè dependet à divina Christi Natura. Nisi enim Christus in personæ unitate esset verus Deus, non potuisset

Christus in personæ unitate esset verus Deus, non potuisset

tuisset suâ passione pro peccatis totius humani generis satisfacere, iram Dei placare, Diabolum & mortem vincere, perfectam iustitiam adducere &c. Oportunè igitur Christus, instans jam passionis horâ, post tot miracula & divinitatis suâ argumenta, ex Regio Propheta Davide, quasi coronidis loco evidenter demonstrat, humanæ suâ Naturæ divinam esse personaliter unitam, ut passionis pondus & λύσις sufficientiam rectè aestimare, atque immotâ cordis fiduciâ salutem ab ipso unice sperare omnes verè pii ex eo discant, ad-versari verò obstinatæ malitiæ convincantur.

7. Ludolphus Carthusienfis talem profert connexionis rationem: *Postquam Christus totam legem ad duo mandata dilectionis direxerat, voluit ostendere, hæc duo mandata reduci in unum diligibile, quod est Christus. Nihil enim diligitur tanquam Deus & proximus, nisi ipse Christus, qui in persone unitate est verus Deus & verus homo.*

8. Christus testimonium dederat Scribæ, quod non longè abste à regno Dei, voluit igitur ad ulteriorem Dei cognitionem hac quæstione ipsum perducere, ut civis regni Dei redderetur ac in vera Messia notitia salutariter proficeret.

9. Deniq; quod Christus omnes suas conciones hoc colloquio de lege & Evangelio, de summa

agendorum in præcedente pericope exposita, ac de summa credendorum in hac pericope explicanda, concludere voluit, eo ipso docuit, omnes suas, uti etiam Prophetarum & Apostolorum conciones, adeoque omnia, quæ in sacris literis continentur, adhæc duo principalia capita, videl. *ad legem*, cuius summa in dilectione Dei & proximi consistit, & *ad Evangelium*, quod est doctrina de persona, officio & beneficiis Christi, revocari posse. Esa. 8. v. 19. *Ad legem & ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutinalux:* ubi nomine testimonii intelligitur doctrina Evangelii, quod est *testificatio de Christo* Joh. 1. v. 7. cap. 15. v. 27. Act. 1. v. 8. cap. v. 43. &c. Pari ratione etiam in aliis Scripturæ dictis hæc duo cœlestis doctrinæ partes principales conjunguntur, 1. Sam. 2. v. 6. *Dominus mortificat (per prædicationem legis) & vivificat (per consolationem Evangelii.)* Osee 6. v. 1. *Dominus lacerat & sanat.* Johan. 1. v. 17. *Lex per Moysen data, gratia & veritas per Jesum Christum facta.* Rom. 11. v. 32. *Concluse Deus omnes sub incredulitate (voce legis) ut omnium misereatur (omnibus in Evangelio gratiam suam offerens.)* Galat. 3. vers. 22. *Concluse Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.*

QUÆSTIO DE CHRISTO, CUIUS SIT FILIUS.

MATTH. 12.

41. Συνηγμένον δὲ τῶν Φαρισαίων ἐπιρώτησεν αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς.
42. Λέγων· τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; πίνθη υἱὸς ἐστίν; λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι Δαβὶδ.
43. Λέγει αὐτοῖς· Πῶς ἐν Δαβὶδ ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ, λέγων·
44. Εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, καθὲς ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἀνθῶ τῶν ἐχθρῶν σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου;
45. Εἰ ἐν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστίν.
46. Καὶ ἔδειξεν ἐδύνατο αὐτῷ δοκῆσαι λέγειν, ἔδει ἐπιλήθῃσι πῶς ἀπὸ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτήσῃ αὐτὸν ἐκεῖτι.
41. *Congregatis autem Phariseis interrogavit eos Jesus.*
42. *Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, David.*
43. *Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu Dominum eum vocat dicens:*
44. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub sellium pedum tuorum?*
45. *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?*
46. *Et nemo poterat ei respondere quicquam, neque ausus fuit quisquam ex eo die interrogare eum amplius.*

MARC. 12.

35. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἔλεγε, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· Πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι Χριστὸς υἱὸς ἐστὶν Δαβὶδ;
36. Αὐτὸς γὰρ Δαβὶδ εἶπεν ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ· εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, καθὲς ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἀνθῶ τῶν ἐχθρῶν σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.
37. Αὐτὸς ἐν Δαβὶδ λέγει αὐτὸν κύριον, καὶ πῶθεν υἱὸς αὐτοῦ ἐστίν; καὶ ὁ πῶλος ὄχλος ἤκουεν αὐτὸν ἠδέως.
35. *Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ, Christum esse filium David?*
36. *Nam ipse David dixit (afflatus) Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris mihi, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*
37. *Ipse ergo David vocat eum Dominum, & unde filius ejus est? Et pleraque turba audiebat illum libenter.*

LUC. 20.

41. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸς· πῶς λέγουσιν τὸν Χριστὸν υἱὸν Δαβὶδ εἶναι;
42. Καὶ αὐτὸς Δαβὶδ λέγει ἐν βίβλῳ Ψαλμῶν· εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, καθὲς ἐκ δεξιῶν μου.
41. *Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum esse filium David.*
42. *Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis:*

43. ἕως

43. Ἐως ἄν θᾶ τὰς ἐχθρὰς σα ὑποπόδιον τῶν πο-
δῶν σα;
44. Δαβὶδ ἔν κύριον [αὐτὸν] καλεῖ, καὶ πῶς ὑὸς αὐτοῦ
ἔστι;

43. Donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuo-
rum?
44. David ergo Dominum illum vocat, & quomodo fi-
lius ejus est?

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIA-
RUM HUIUS HISTORIÆ.

IN recensione hujus Historiæ videntur à Matthæo Marcus & Lucas nonnihil discrepare. Matthæus dicit, *Christum interrogasse Phariseos, quid ipsis de Christo videatur, cujus sit filius?* cumque illi responderent, *Davidis esse filium*, Christum denuò interrogando ipsis objecisse: *Quomodo ergo David in Spiritu eum vocat Dominum?* Marcus & Lucas dicunt, Christum in templo docentem inter cetera hoc dubium movisse: *Quomodo dicunt Scribæ, Christum esse filium Davidis, cum David in libro Psalms eum vocet Dominum?* quod non videtur ad Phariseos, sed ad turbas a Scribis de Christo sic edoctas prolatum, eas enim Christus tunc in templo docens informabat. Euthymius & cum secuti Erasmus & Andreas Osiander statuunt, Christum bis hanc quæstionem proposuisse, semel quidem *Phariseis*, ut habet Matthæus, postea verò etiam *turbæ*, ut habent Marcus & Lucas. Inde Osiander Harmoniam sic ordinat, ut integram Historiam prius ex Matthæo describat, & postea ex Marco & Luca subjiciat: *Et tunc respondens Jesus locutus est turbis & discipulis suis docens in templo. Dixit autem ad eos: Quomodo dicunt Scribæ, quod Christus sit filius Davidis, cum tamen David eum vocat Dominum, &c.* ac postea in annotat. lib. 3. cap. 46. addit: *Christus primum cum Phariseis de Christo disputavit, postea ignorantiam illorum repetitâ disputatione apud populum traduxit, ut vulgus intelligeret, quàm non esset fidendum illorum doctrinæ. Quare necessariò narratio Marci & Lucæ à narratione Matthæi separanda fuit.* Sed nullâ necessitate cogimur, ut narrationem Marci & Lucæ à narratione Matthæi separemus. Marcus & Lucas non dicunt, Christum hæc dixisse *ad turbas*, quamvis turbis audientibus hoc dictum esse significant, quin potius hæc obscurè etiam ipsi innuunt, Christum *ad Phariseos* hæc dixisse. Connexio apud Marcum & Lucam sic habet: *Nemo* (scilicet Phariseorum & Scribarum) *audebat eum amplius interrogare: Jesus autem respondens dixit ad illos, utique ad eos, qui prius Christum de maximo legis mandato interrogaverant, hoc est, ad Phariseos & Scribas.* Marcus expositâ hac quæstione de Christo subjungit: *Et pleræque turba audiebat illum libenter, & dicebat eis in doctrina sua.* Lucas addit: *Audiente autem omni populo dixit discipulis suis.* Ergo tum demum sermonem suum ad turbam & discipulos convertere cœpit. August. lib. 2. de cons. Evang. cap. 174. similem ferè profert conciliationem: *Non interest ad sententiam, quod secundum Matthæum cum interrogasset Jesus, quid eis (Judeis) videatur de Christo, cujus esset filius, illi responderunt, David, tunc demum intulit, quomodo*

eum David diceret Dominum. Secundum illos autem duos Marcum & Lucam nec interrogari esse, nec respondisse inveniuntur. Intelligere enim debemus, post eorum responsum sententiam ipsius Domini à duobus Evangelistis insinuatam, quomodo ab illo dicta sit, his audientibus, quos volebat suo magisterio utiliter informare, & à Scribarum alienare doctrinam, qui de Christo illud solùm sapiebant, quod secundum carnem factus erat ex semine David, non eum autem intelligebant Deum, propter quod erat Dominus ipse David. Ideo tanquam de illis errantibus Dominus ad istos sermonem faciens, quos volebat ab illorum errore liberari, secundum hos duos Evangelistas commemoratur, ut quod illis dictum est, quomodo dicitis, sicut Matthæus narrat, sic accipiatur, non tanquam ad illos, sed tanquam de illis ad eos potius dictum sit, quos volebat instruere. Quidam statuunt, Christum primum quidem in concione tam Phariseis, quam populo objectionem illam proposuisse: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis, cum David eum vocet Dominum? ut est apud Marcum & Lucam, postea verò congregatis in templo Phariseis quæstionem proposuisse: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? cumque respondissent, Davidis, objectionem repetivisse: Quomodo David vocat eum Dominum, cum sit filius ejus? ut est apud Matthæum. Simplicissimè responderetur, Marcum & Lucam in narratione hujus quæstionis à Christo positæ brevitati studentes referre, quod quæsierit Christus in tertia persona: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis? cum ex Matthæo satis evidenter appareat, non his præcisè verbis in proponenda quæstione Christum fuisse usum, sed secundum sensum illud quæsisisse, quod Marcus & Lucas verbis illis à Christo quæsitum fuisse memorant. Neque enim Evangelistarum studium fuit, singula Christi verba semper annumerare, sed quod ab aliis latius expositum interdum brevibus verbis repetunt. Cum enim Phariseorum plerique etiam Scribæ essent, aut certè ex Scribarum sententia & doctrina respondissent, Christum esse filium Davidis, ideo Marcus rectè dicit, interrogasse Dominum: Quomodo dicunt Scribæ, Christum esse filium Davidis, quamvis in secunda persona à Phariseis id quæsierit, ut ex Matthæo intelligitur. Quanquam etiam cogitari possit, Phariseos interrogatos, cujus filius esset Christus, respondisse, Scribas asserere eum esse filium Davidis, ac tum demum subjecisse, quod habent Marcus & Lucas: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis? quam sententiam in Harmoniæ coagmentatione sequemur.

Harmonia questionis de Christo cuius sit Filius.

Συνημενων δὲ τῶν Φαρισαίων ἐπερωτήσεν αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ὅτι τῶν ἱερῶν, λέγων· Τι υἱὸν δοκεῖ πρὸς Ἐχριστὸν; πῶς υἱὸς ἐστὶ; λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι Δαβὶδ. καὶ ἀποκρίθεις ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτούς (ἐλέγε, λέγει αὐτοῖς.) πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι ὁ Χριστὸς υἱὸς ἐστὶ Δαβὶδ, (τὸν Χριστὸν υἱὸν Δαβὶδ εἶναι) πῶς ἐν Δαβὶδ ὁ πνεύματι κυρίου αὐτὸν καλεῖ; (εἰ) αὐτὸς γὰρ Δαβὶδ λέγει (εἶπεν) ἐν τῷ πνεύματι τῶ ἀγαθῷ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν (λέγων.) εἶπεν κύριε μου καὶ δεξιὰ μου, καὶ ἐκ δεξιᾶν μου, ἕως ἀνθρώπων ἐχθρῶν σου ὑποπόδιον τῶ ποδῶν σου. αὐτὸς ἐν Δαβὶδ κύριον αὐτὸν καλεῖ (λέγει)· Εἰ ἐν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν κύριον, πῶς καὶ υἱὸς αὐτοῦ ἐστὶν; καὶ εἰδὲς ἰδιόμοτον αὐτῶν ἀποκρίθηναι λόγον, εἰδὲ ἐτιμῆσε τις αὐτὸν ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτήσας αὐτὸν ἐκέτι. καὶ ὁ πλὴν οὐκ ἤκουεν αὐτὸν ἡδέως.

Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus, docens in templo, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, David. Et respondens Jesus dicebat ad illos (ait illis.) Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium David? Quomodo ergo David in Spiritu Dominum eum vocat? (Et) Nam ipse David dicit (dixit) afflatus Spiritu sancto in libro Psalmorum (dicens.) Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David Dominum illum vocat. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo est unde filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neque ausus fuit quisquam ex eo die interrogare eum amplius. Et pleræq; turba audiebat illum libenter.

Exegesis hujus Historia.

Hebr. 9. v. 4. in arca fœderis auro undiquaq; tecta dicuntur fuisse tria, videlicet 1. Urna aurea cum manna. 2. Virga Aaronis, quæ fronduerat, 3. Et tabulæ Testamenti, quibus inscriptus erat Decalogus (ubi tamen arca nomine non tantum corpus ipsius intermedium, sed etiam partes laterales intelligendas esse colligitur ex Deut. 10. 5. Ex. 16. 33. 1. Reg. 8. 9.) Per arcam fœderis, cuius operculum vocabatur propitiatorium, denotatur Christus N. T. Mediator Heb. 9. v. 15. verum propitiatorium Rom. 3. 25. ut in artic. de legibus Ceremon. §. 18. fuit demonstratum. Per virgam Aaronis præfiguratur Christi Sacerdotium & Ministerium, Aaronem enim fuisse Christi typum, ex Epistola ad Hebræos manifestum est. Per tabulas testamenti intelligitur Decalogus tabulis illis inscriptus. Per manna doctrina Evangelii, quod est mysterium cœlestis divinitus revelatum, donum Dei in signe, coram oculis hominum carnalium & justitiariorum minutum, cibum animæ suavissimum, omnibus aequaliter Dei gratiam offerens. Quod ergo in arca fœderis contenta fuerunt urna aurea cum manna, virga Aaronis germinans, & tabulæ Testamenti, eo ipso præfigurata fuit, Christum in Ministerio docendi, quo in his terris Dei voluntate functurus erat, legis & Evangelii doctrinam conjuncturum. Ut enim omnis Scriba doctus in regnum cœlorum similis est homini patri familias, qui profert ex thesauro suo vetera & nova Matth. 13. v. 52. ita quoq; Christus, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Col. 2. v. 3. in suo Ministerio ex hoc thesauro non solum veterem legis, sed etiam novam Evangelii doctrinam præferre voluit, ut nihil eorum, quæ ad salutem hominum promovendâ faciunt, prætermitteret. Postquam igitur in præcedente pericope exposuerat duo præcipua legis mandata de dilectione Dei & proximi, ad quæ reliqua omnia revocantur; in hac ipsa pericope quæstionem de Messia Evangelii nucleum continentem Pharisæis proponit, doctrinam Evangelii cum doctrina legis in Ecclesia perpetuò conjungendam esse, eo ipso ostendens.

Partes hujus pericopes sunt duæ: 1. Colloquium ipsum. 2. Colloquii eventus & effectum. In colloquio consideranda 1. Circumstantiæ. 2. Forma. Ad circumstantias pertinet 1. Occasio, quæ fuit Pharisæorum congregatio. Matthæus in exordio præcedentis pericopes dicit: Pharisæi ergo audientes, quod

silentium Sadducæis imposuisset, convenerunt in unum, eo scilicet fine, ut Christum denuò quæstione aliquâ in medium propositâ tentarent, quod suum consiliū per quendam vim dederunt expeditum. Cum ergo huic ipsorum quæstioni Christus satisfecisset, ipsiq; adhuc congregati essent, proposuit eis etiam ipse quæstionem, ex quo tùm immediatâ hujus Historiæ cum præcedente connexio, tùm etiam temporis circumstantia colligi potest. De Judæis dicitur Joh. 8. 20. quod in templo, utpote ad quod exercitium divini cultus erat restrictum, singulis diebus convenire soliti fuerint, illud vel maximè de Pharisæis intelligendum, qui reliquis Judæis religiosiores videri voluerunt, ac prætextu prolaxarum orationum domus viduarum comederunt. Matt. 23. 14. Marc. 12. 40. quod orationis causâ quotidie in templum ascenderint Luc. 18. 9. Quare cum hæc contigerint docente Christo in templo, facile evenire potuit, ut Pharisæis in templo congregatis quæstio illa proponeretur. Voluit autem Christus Pharisæis simul congregatis hanc quæstionem proponere: 1. Ut ostenderet se esse καρδιογνώστην. Procul dubio nova inierunt consilia de alia quæstione captiosa & insidiosa ad Christum afferenda, sed Christus quæstione suâ ipsorum conatus antevertens arcana cordium se introspicere posse demonstrat. Hieronymus in cap. 22. Matth. Qui ad tentandum Jesum fuerant congregati & veritatem fraudulentè in interrogatione carpere nitentur, occasionem præbuerant confusionis sue. 2. Ut ignorantiam ipsorum magis confunderet. Non unum aliquem ex ipsorum ordine vel paucos duntaxat, sed omnes simul congregatos quæstione suâ adoritur, ut æquali ignorantia omnes laborare ostendat. Si unum aliquem vel paucos duntaxat compellasset, reliqui obvertere potuissent, illorum inscitiam sibi non debere esse fraudi, non defuisse sibi responsum, si colloquio interfuissent. Quia verò omnibus simul congregatis quæstionem offert, ac nullus eorum vel verbulo ad eam respondere potest, eo ipso omnes fatentur, vel certe fateri coguntur, se à Christo esse victos. Majori igitur laudi Christo cedit, omnes vicisse, Pharisæis majori dedecori, omnes idoneâ responsione destitui, neque quenquam ex tanto numero invenire posse, quod respondeat. 3. Voluit Christus doctrinam Evangelii, quâ sapius hæctenus ipsis inculcaverat, coram

coram omnibus sub vitæ finem repetere, ut sanabiles contra scandalum crucis & mortis munirentur, ac cognitâ aliquando ipsius Deitate per resurrectionem ex mortuis, in ipsum crederent ac salvi fierent; pertinaces verò redderentur *ἀνυπακούοι* & inexcusabiles, utpote qui nullam ignorantia suæ prætexere possent excusationem. Voluit igitur non uni Scribæ, cum quo de maximo legis mandato collocutus fuerat, sed omnibus Phariseis quæstionem proponere, ut omnes rem necessariâ doceret, sibiq; pergratum fore ostenderet, si vel unus ex tanto numero commodè respondere posset. Apparet autem ex hac Phariseorum congregatione, eos qui Ecclesiæ nomine gloriantur, quandoq; convenire non in Christi nomine Matt. 18. v. 20. sed contra Christum: esse Ecclesiam sive congregationem quandam malignantium Pl. 26. v. 5. Pl. 64. v. 3. à qua nos separare debemus. Argumentum etiam hoc præbet invictæ sapientiæ in Christo, quod non dubitat omnib; hanc quæstionem proponere, adeoque omnes in arenam disputationis provocare.

2. *Causa efficiens sive autor quæstionis*, quis eam proposuerit, videlicet ipse Christus? Is hætenus respondentis partes sustinuerat, jam verò fuscipit munus opponentis: *ὑπομαρτυροῦμαι* ab aliis sibi proposita solertissimè hæten; solverat, æquum igitur erat, ut interrogando specimen sapientiæ suæ exhiberet, & pari industria aliis quæstionem solvendam proponeret, qui in respondendo in superabilem hæten; sese præstiterat. Christus semper & ubiq; sui similis, sive in respondendo sive in quærendo suam expromere velit sapientiam. Ad nostras quæstiones & dubitationes respondet nobis per verbum, quo de omnibus ad salutem scitu necessariis nos instruit; vicissim verò ad examen nos vocat & nostrum in rebus spiritualibus profectum explorat, quando in scholam crucis nos deducit. Paremus igitur nos ad commodum responsum.

3. *Objectum*, cui hanc quæstionem proposuerit, videlicet Phariseis, quorum aliqui ratione officii erant Scribæ, ut superius monuimus. Ideo verò Phariseis & Scribis hunc nodum solvendum exhibet. Primò quia hætenus suis quæstionibus aliquoties ipsum irretire conati fuerant, voluit igitur pari armorum genere eos vincere. Secundò quia præ reliquis in lege divina eruditi videri voluerunt, huj; suæ eruditionis specimen aliquod ipsos edere Christus voluit. Tertio erant ordinarii doctores populi, *sedebant in cathedra Moysi* Matth. 23. v. 3. voluit igitur eos admonere, quid potissimum populo proponere debeant, simulque instituire examen doctrinæ, qualem scilicet populo fidei suæ commisso doctrinam inculcent. Quartò Sadduceis imposuerat silentium invictæ responsione, Phariseis jam porrò silentium imponere voluit insuperabili quæstione. Sadduceos non interrogabat, vel quia illi ex templo abierant, vel quia Scripturarum erant imperiti, vel quia sufficienter jamdum erant convicti, Phariseis autem quæstionem proponit, quia præ cæteris sectis majori sanctitatis & eruditionis opinione in populo Judaico pollebant. Denique propositum fuit Christo non solum convincere Phariseos, sed etiam de hoc summo fidei mysterio populū informare, quod enim in præsentia totius populi Phariseis hæc quæstio fuerit proposita, colligitur ex

Marc. 12. v. 37. non potuit autem populus hæc de re convenientius informari, quam si doctrinam Phariseorum, qui majori autoritate apud populum pollebant, ostenderet esse insufficientem, ac plus de Messia credendum, quàm Pharisei & Scribæ de ipso docebant. Præbet hoc argumentum *Φιλανθρωπικός* in Christo, quod salutem eorum quærit, à quib; ipse quærebatur ad mortem; quod non desinit illos informare, qui non cessabant ipsum oppugnare. Quanto promptior erit ad eos, qui discendi sunt cupidi, informandos, qui tam promptus est ad eos, qui tentandi animo convenerant, in viam revocandos!

4. *Locus*. Interrogavit Jesus Phariseos docens in templo. Ergo non obiter, nec perfunctoriè, nec quasi aliud agens quæstionem illam proposuit, sed animo deliberato, cum augusto docendi munere à Patre cœlesti sibi demandato fungeretur, & quidem in templo, in publico illo acroaterio, divini cultus officina. Matt. 16. 13. Marc. 8. 27. Luc. 9. 18. interrogat discipulos suos seorsim *in via*, quæ Cæsaream ducit. *Quem me dicunt esse filium hominis?* hic verò in templo, in loco publico à Phariseis quærit: *Quid vobis de Christo videtur?* eo ipso ostendens, notitiam de Christo esse omnibus omnino ad salutem necessariam, quippe sine qua nemo possit salutis æternæ particeps reddi, ac veritatem essati sui confirmans Joh. 18. 20. *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quod omnes Judei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Videmus etiam, quod Christus inveniatur docens in templo. Si ergo Christum invenire & audire desideramus, quaramus eum in templo, hoc est, in verbo, quod tunc temporis in templo auditoribus suis proposuit Joh. 5. 39. Luc. 2. 46. &c.

Forma colloquii absolvitur tribus membris: 1. *Christi quæstione*. 2. *Phariseorum responsione*. 3. *Christi objectione*. Quæstio Christi ita informatur: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est.* *δοκῶν* non dubiam aut falsam opinionem, sed veram & constantem sententiam hoc loco significat: quo modo usurpatur Johan. 5. v. 39. & 45. 1. Cor. 4. v. 9. cap. 7. v. 40. &c. non enim dubium aut ambiguum, sed verum & solidum responsum Christus à Phariseis exigit. Sensus ergo est. *Quid vobis, qui Scripturarum peritissimi haberi vultis, de Christo videtur?* quæ est vestra de Messia promissio fides, quid statuitis de Christo, quem ex Dei promissione cupidè expectatis? Syrus reddidit: *Quid dicentes vos estis, vel quid dicitis vos de Christo?* hoc est, qualem doctrinam de Christo plebi fidei vestræ commissæ proponitis? instituit igitur examen doctrinæ, & eos, qui aliorum voluerunt esse doctores, doctrinæ suæ rationem reddere exigit. *Cujus filius est?* hoc est, ex cujus familia & tribu nascetur. Neque enim de proximo parente quærit, sed de nativitate stirpe, quia Hebræorum idiomate omnes posteri vocantur filii. Accuratè autem consideranda quæstionis hujus forma: 1. Non dicit simpliciter, *cujus filius est Christus?* sed præmittit aliam quæstionem. *Quid vobis videtur?* quo ipso ostendit, se non quærere animo discendi, quasi ab ipsis discere velit, cujus filius sit Messias, vel quasi ipse hæc de re dubitet; sic enim dixisset, *dicite quæso mihi, cujus filius sit Christus?* sed dicit: *Quid vobis videtur?* hoc est, vestram cupio scire confessionem, vestrâ mihi exponi cupio sententiam.

sententiam. Quod si *deus* velimus in significatio-
ne ambiguae opinionis accipere, qua huic verbo
est usitata Matth. 6. v. 7. Marc. 6. v. 47. &c. tacite à
Christo accusantur, quod in hoc articulo de Messia
non teneant solidam & immotam veritatem, sed
humanas duntaxat opiniones de Messia futuro nu-
do homine, de terreno ipsius regno, de liberatio-
ne à potestate Romanorum ab ipso speranda. 2. Non
dicit in futuro. Cujus filius erit Christus, sed in
praesenti *cujus filius est Christus?* Quamvis enim in
Syriaca paraphrasi absolute dicatur, *cujus filius?* ac
accipi possit indefinite pro *est* vel erit, tamen
cum genuina & propria significatio verbi *est* sit
praesentis temporis, ideo haud absurdè cogitatur,
Christum eo ipso innuere voluisse, quod Messias,
quem venturum expectent, jamdum praesentem sit.
Interrogat de illo, quem credebant esse ventu-
rum, quem credere volebant esse praesentem.
3. Non dicit: Quid vobis de me videretur, *cujus sim*
filius, vel an sim promissus Messias? Matth. 16. v. 15.
à discipulis suis quaerit: *Vos, quem me dicitis esse?* ni-
mirum quia discipuli credebant ipsum esse pro-
missum Messiam. Hic verò non utitur istà in interro-
gationis formà, quia non cum amicis & discipulis,
sed cum adversariis & inimicis, qui acriter nega-
bant ipsam esse promissum Messiam, sibi negotiù
esse noverat. Ideò absolute & indefinite quaerit,
quid vobis videtur me, & quem me dicitis esse? hoc est,
de Messia, quicumque tandem ille sit, nam nomen Christi hic
non ponitur ut proprium, sed ut appellativum,
nec in specie de JESU Nazareno, sed in genere de
persona Messia usurpatur. Chrysostomus homil.
72. in Matth. *Discipulos quidem primum quid alii de*
se, deinde quid ipsi dicerent, interrogavit: istos verò non
eo pacto, sed utroque enim profecto & perditum virum
dicere non dubitassent Matth. 27. v. 63. Luc. 23. v. 2.
Joh. 8. v. 48. Noluit igitur ipsis calumniandi occa-
sionem praebere, sed generaliter quaesivit de Chri-
sto, *cujus sit filius, q. d.* Seposita jam illà contro-
versia, an ego sim promissus Messias necne, ve-
stram mihi exponite sententiam, quid de Christo
statuatis, quicumque tandem ille sit vel futurus
sit; ex cujus posteritate ipsum expectandum cen-
seatis? an hominis tantum an etiam Dei filius sit fu-
turus. 4. Non dicit, quid vobis videretur de Chri-
sto? num venturus est, necne? erat enim apud
Pharisaeos & omnes Judaeos in confesso, Messiam
per Moysen & Prophetas olim promissum suo tem-
pore esse venturum, frustra igitur quaesivisset, an
Messiam adventurum crederent. Sic ergo infor-
mat quaesitum, ut & suam, quam proposuit Pharisaeis,
quaesitione, & illorum, quam noverat eos duros,
responsione, eò, quò tendebat, commodè perve-
nire posset, videlicet ut Messiam non nudum homi-
nem, sed in personà unitate etiam verum Deum
esse demonstraret. 5. Non dicit: Quid vobis
videtur de Christo, an futurus est filius Davidis?
omnibus enim hoc ex Scripturis Prophetis eo
tempore erat perspicuum & apud omnes in con-
fesso, Messiam fore Davidis filium. Ideò absolute
& indeterminate quaerit, *cujus filius sit Messias?*
quod non tantum de temporali ejus nativitate &
origine secundum humanam Naturam accipi
potest, sed in genere de persona Messia, an tan-
tum futurus sit hominis, videlicet Davidis filius &
verus homo, an verò etiam Dei filius & verus
Deus. Proposuit autem Jesus hanc de Messia qua-

estionem. 1. Ut argueret Pharisaeorum oscitantiam,
quod praetermissis de Messia promissionibus, in
quibuscardo salutis vertitur, legis studio tantum
incumberent. Pharisaei tantum urgebant legem,
eique addebant suas *deuteronomias*, promissiones de
Messia vel plane negligebant, vel in alienum sen-
sum detorquebant: Christus igitur proponit illis
quaesitionem ex Evangelio, ut ostendat in Ecclesia
non tantum debere sonare vocem legis omisso
Evangelii praerogio, sed utramque doctrinam
conjungendam esse. 2. Ut ostenderet, se eo fine
in mundum venisse, ut in officio suo Sacerdotali
pro peccatis hominum satisfaceret, & in officio
suo Prophetico doctrinam Evangelii ex aeterni
patris sinu proferret Johan. 1. vers. 18. Repetit
quidem legem, & à Pharisaeorum corruptelis eam
vindicat, quia nisi doctrina legis pura & integra
retineatur, non desideratur consolatio Evan-
gelica, interim propria ipsius doctrina manet
Evangelium Psalm. 45. vers. 3. Esa. 50. vers. 4. cap.
61. vers. 1. Luc. 4. vers. 18. unde inter caetera argu-
menta ex eo se Messiam esse probat, quia *pauperibus*
Evangelium praedicatur Matth. 11. v. 4. *lex* jam ante per
Mosén data, & per Prophetas exposita, gratia autem
Evangelii per Christum nobis data Johan. 1. vers.
17. 3. Ut doceret summam Christianorum sapien-
tiam consistere in Messiae cognitione 1. Cor. 2. v. 2.
Pharisaei & Scribae judicabant summam sapien-
tiam consistere in notitia legis, & in solutione qua-
estionum, quae de lege moveri possunt: Sed Christus
hanc quaestionem de Messia ipsis proponens, re ipsa
hoc dicit: Ego ostendam vobis longè sublimiorem
sapieniam, ex qua iustitia, vita & salus aeterna
hauriri potest, quae in vera & salutari Messiae co-
gnitione consistit Esa. 53. vers. 11. Johan. 17. vers. 3.
4. Ut doceret, praecipuam divini cultus partem
non consistere in externis ceremoniis, sed in interio-
re veri Dei cognitione & dilectione, ad quam
cognitio Messiae vel maximè requiratur. Phari-
saei movebant complures quaestiones de rebus
non necessariis, videlicet de lavandis ante cibum
manibus, de non fricandis frugibus die Sabbathi,
de decimanda mentha, de latitudine fimbriarum,
de usu phylacteriorum, &c. sed de vera salutis via
altum in ipsorum disputationibus erat silentium,
ac si quando de iustitia coram Deo & modo con-
sequendae salutis quaestio incideret, tantum de ex-
terna legis obœdientia & observatione traditio-
num diserebant, de Messia verbum audivisses
nullum. Ab eo enim corporalia duntaxat be-
neficia sperabant, restitutionem scilicet in li-
bertatem & liberationem à potestate Romano-
rum, ad iustitiam & salutem consequendam sine
Messiae beneficio sufficientibus sese viribus in-
structos esse persuasi erant. Sed Christus ab hoc
pestilentissimo errore eos revocaturus quaestio-
nem de Messia ipsis proponit. 5. Ut Scribam &
reliquos auditores, quos de *summa agendorum* ex le-
ge instruxerat, porro etiam de *summa credendorum*
ex Evangelio instrueret, atque hac ratione ad sal-
vificam Dei & Mediatoris Jesu Christi cognitio-
nem manuduceret: *Hec est enim vita aeterna, ut agno-
scamus Patrem solum verum Deum, & eum, quem misit,*
Christum Jesum Joh. 17. vers. 3. 6. Ut ostenderet
scopum totius Scripturae esse Christum, de quo
Moses & Prophetae toties sunt vaticinati Joh. 1.
v. 46. Dixerat in praecedentibus, à duobus mandatis

de dilectione Dei & proximi pendere universam legem & Prophetas; ne quis verò tantum legalia in Mose & Prophetis contineri ex eo suspicaretur, subjungit quaestionem de Christo, à qua pendent & ad quam tendunt omnia, quæ de Messia in Mose & Prophetis proponuntur. Parum prodest novisse legem de dilectione Dei & proximi, ex qua miseria & adveniens nostræ agnitio oritur, nisi accedat notitia Evangelii & fides in Christum, per quam miseria nostræ remedium affertur, & dilectio Dei & proximi in cordibus plantatur. 7. Ut presentes auditores, in quorum gratiam hæc quaestio simul proponebatur, doceret, Messiam non tantum verum hominem, sed etiam verum Deum esse, & occurreret adversariorum errori, quo blasphemia nomine tradebant, quod se filium Dei profiteretur, quibus tacite confusionem & exitum prædicat, quando ex Psal. 110. v. 3. adducit dictum: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Plures causæ colligi possunt ex eis, quæ de ratione ordinis diximus superius. Ostendit autem Christus hoc quaestionis à se motæ exemplo, quæ & quales quaestiones in congressibus & scholis Theologicis sint proponendæ ac ventilandæ, videlicet non Philosophicæ (quæ suo loco & tempore sunt magnificandæ) sed Theologicæ; non otiosæ & curiosæ, sed fructuosæ; non inanes & futiles, sed necessariae & utiles. De otiosis & futilibus potius quàm subtilibus Scholasticorum quaestionibus jam olim pronuntiavit Nicolaus de Clemangis, *cas habere eandem Naturam cum fructibus circa stagnum Asphaltidis aut Sodomiticum crescentibus, qui etsi externè jucundam speciem aspectui præbeant, tamen internè tantum cinis sunt & pulvis.* Ostendit insuper articulum de persona & officio Christi, cum primis in Ecclesia diligenter tractandum, cum in eo nostra justitia & salus aeterna contineatur. Denique præscribit modum, quo derebus Theologicis differendum, videlicet animo puro & simplice, sine insidiis, fraudibus & calumniis, animo pio auditorum ædificationem quaerentes, animo ab affectibus vitiosis defecato, ut liberè audiantur sententia, animo verè Theologico. Itemque ut ex Scriptura tanquam proprio & unico Theologiae principio decisio petatur. Conferantur invicem quaestiones à Phariseis, Scribis & Sadduceis hæcenus Christo propositæ, cum hac ipsa quaestione, quam Christus in medium affert; conferatur modus disputandi, quem Pharisei, Scribæ & Sadducei prius observaverant cum eo, quem Christus hic observat, & maximum utrobique discrimen deprehenditur. Scopus Christi est, quod voluerit morderi publicæ ignorantia, obfistere errori de terreno Messia regno, qui non solum pacem publicam turbabat, quia ex falsa opinione multiplices excitabantur seditiones, sed etiam animarum salutem impediabat, quia ignoratâ Messia divinitate non potest ab eo satisfactio pro peccatis & perfecta justitia ac salus expectari, Christus igitur per decisionem hujus quaestionis & Reipubl. tranquillitati & animarum saluti consulere voluit. Contrà verò Phariseorum, Scribarum & Sadduceorum scopus fuit, Christum in sermone illaqueare, potestati Præsidis ad necem ipsum tradere, proprium honorem, gloriam & auctoritatem afferere, homines à Christo ad Mosen, & à verbo Dei ad traditiones abducere.

Christus nudam & simplicem sectatur veritatem; Pharisei fucatis verborum blanditiis utuntur ac venenum in aureo pocula propinant.

2. *Responsio Phariseorum* uno absolvitur verbo. Dicunt enim ei, *David filius David sc. filius erit.* Cum paulo antè Christus ex eis quaesivisset, quid de *Johannis Baptismo* statuerent, *an è caelo fuerit, an ex hominibus*, subterfugerant responsum, mentientes se illud nescire, hic verò non subterfugiunt responsum, sed apertè animi sui sensa proferunt. Illic enim videbant se constrictos fore, quicquid tandem responderent, hic verò nullum metuentium periculum. Dicunt ergo, *Davidis filium Messiam fore.* Procul dubio cum Scribis in ipsorum cœtu præsentibus rem prius communicarunt, sicut etiam Herodes auditio nuncio de Rege Judæorum, hoc est, Messia nato, congregaverat Principes Sacerdotum & Scribas populi, sciscitatus ab illis, ubi Christus nasceretur Mat. 2. v. 4. idem enim hoc loco à Phariseis factum fuisse colligitur ex eo, quod Christus fujcit: *Quomodo dicunt Scribæ, & vos Pharisei ex illorum sententia, Christum esse filium Davidis?* Responsum ipsum petatum est tum ex Scripturâ Prophetica oraculis, tum ex communi Ecclesiae Israeliticæ consensu. Scripturâ dicta, in quibus Messias ex Davidis semine live posteritate nasciturus promittitur, potiora hæc sunt. 2. Sam. 7. v. 12. 1. Paral. 17. v. 11. dicit Deus ad Davidem per Nathanem Prophetam: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, ipse edificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usq; in sempiternum, ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Psal. 89. v. 4. *Juravi David servo meo, usq; in ætænum confirmabo semen tuum & edificabo in generationem & generationem sedem tuam.* Psal. 132. v. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super semen tuum.* Esa. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & virgultum de radice ejus ascendet & requiescet super eum Spiritus Domini v. 11. in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsam gentes deprecabuntur.* Jer. 23. v. 5. c. 33. v. 15. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum.* Id ipsum videlicet, quod Messias nasciturus sit ex genere, familia & semine Davidis, non solum Scribæ tum temporis publicè docebant ex citatis Scripturâ dictis, in quibus Davidi promittitur Messias, sed etiam omnibus Judæis persuasum erat Joh. 7. v. 42. ita quidem. ut cui Messia honorem deferre ac beneficia ab ipso petere vellent, eum Davidis filium *ναὶ ἐξ οὗτου* vocare Mat. 9. v. 27. c. 15. v. 22. c. 20. v. 30. 31. Marc. 10. v. 47. 48. Luc. 18. v. 38. & c. ac per *filium Davidis ἀπονομαστικῶς* intelligerent Messiam Mat. 12. v. 23. c. 21. v. 9. De proximo Messia patre non arbitrantur Jesum quaerere, utpote cujus nomen in Scripturis prophetis non esse expressum judicabant. Sed nec remotiorem Messia patrem Abrahamum nominant, cui itidem promissio facta, quod ex ipsius semine nasciturus sit Messias, *in quo benedicendæ omnes gentes* Genes. 12. v. 3. cap. 18. v. 18. cap. 22. v. 18. unde Evangelista Matthæus demonstraturus Jesum esse promissum Messiam, ostendit ipsum esse *filium Davidis & filium Abrahæ* Mat. 1. v. 1. sed Pharisei Davidem potius hic nominant quàm Abraham. 1. Quia in genealogia Messia David inter majores ejus

ejus proximior est quam Abraham. 2. Quia David non solum fuit Patriarcha Act. 2. v. 29. & Propheta v. 30. qualis etiam fuit Abraham, sed insuper Rex totius populi Israëliti, & quidam talis Rex, quo non fuit dignior inter omnes Reges Israëliti, qui fuit vir secundum cor Dei 1. Sam. 13. v. 14. Actor. 13. v. 22. Davidis igitur filius potius quam Abraham dictus fuit Messias, quippe qui non solum ex femine Davidis nasciturus, sed etiam in regno successor futurus, ut ex adductis vaticiniis manifestum Luc. 1. v. 33. Quia promissiones de Messia ad Davidem facta non solum recentiores, sed etiam plures & clariores fuerunt, quam promissiones Abrahamo facta, ut mutua collatio ostendit. 4. Quia Messias non solum ex genere Davidis nasciturus erat promissus, sed etiam in Patria Davidis, videlicet in Bethlehém Mich. 5. v. 2. Matth. 2. v. 5. Johan. 7. v. 42. unde ipso Davidis nomine Messias interdum describitur Psal. 132. v. 10. Esa. 37. v. 35. c. 55. v. 3. Jerem. 30. v. 9. c. 33. v. 22. Ezech. 34. v. 23. c. 37. v. 24. Ose. 3. v. 5. Amos. 9. v. 11. 5. Quia si dixissent, Messiam fore Abraham filium, responsio illa fuisset planè indefinita & indeterminata, nec expressissent familiam & stirpem, ex qua Messias expectabatur, omnes enim Israëliti erant ex posteritate & femine Abraham. Dicunt ergo Messiam fore filium Davidis, quippe cui postremo loco facta promissio, quod ex ipsius femine nasciturus sit Messias, neque enim post Davidem vel Salomonem vel alii usque ad Josephum & Mariam talis promissio facta. Quamvis verò rectè dicant Christum fore filium Davidis, tamen hæc responsio non erat sufficiens. Debuissent enim ac potuissent etiam ex Scripturis scire, Messiam non tantum fore Davidis, sed etiam Dei filium, id enim non solum in aliis Scripturæ locis docetur Psal. 2. v. 7. Esa. 7. v. 14. sed etiam in illis ipsis, in quibus Messias ex Davidis femine nasciturus prædicatur. Sic enim loquitur Jehovah de hoc Davidis filio 2. Sam. 7. v. 14. 1. Paral. 17. v. 13. Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium. Psal. 89. v. 27. Vocabit me, Pater meus es tu. Jerem. 23. v. 6. Hæc est nomen, quo vocabunt eum, Jehovah justitie nostra. Adde quod talia ipsi tribuantur, quæ non nisi Dei filio & verò Deo competunt, utpote quod regnum ejus futurum sit æternum 2. Sam. 7. v. 13. Psal. 89. v. 30. 37. quod futurus sit primogenitus, altissimus præ Regibus terræ v. 29. quod justitiam & salutem adducturus Jerem. 23. v. 9. cap. 33. v. 16. & c. quæ omnia evidenter ostendunt, Messiam non tantum Davidis filium & verum hominem, sed etiam Dei filium ac verum Deum esse. Pharisei ergo non assequuntur mentem Christi, qui non tantum de corporali natiuitate, juxta quam in terris non habebat Patrem, sed matrem; sed etiam de æterna natiuitate Messia, juxta quam in cælis non habebat matrem, sed Patrem Heb. 7. v. 3. simul quærebat, unde passim non solum filium hominis, sed etiam filium Dei sese vocabat. Quia verò hujus mysterii penitus ignorerant Pharisei, ac Messiam nudum hominem & Regem terrenum fore sibi persuaserant, ideò nudè & simpliciter respondent, ipsum fore filium Davidis. Quidam existimant, non fuisse tunc temporis Phariseis & Scribis ignotum vel ab ipsis negatum, Messiam fore filium Dei, cum in Historia passionis ex Christo quærant: Dic nobis, an tu sis Christus Dei filius? Matth. 26. v. 63. sed rectius statim

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

tuitur, quætionem illam esse bimembrem. Duo enim ex Christo quærant: an sis Christus? h. e. promissus Messias, & an se adhuc Dei filium profiteatur, non quod statuerent, Messiam fore filium Dei, sed quod audiverant, Christum de se utrumque affirmare, ipsi verò utrumque negabant, quin imo blasphemiam judicabant, quod Christus, cum homo esset, se ipsum filium Dei diceret, sicque Deo se æqualem faceret Joh. 5. v. 18. ac si credidissent, Messiam non solum filium Davidis, sed etiam filium Dei futurum, facillimum ipsis fuisset, ad argumentum Christi, Si Messias est filius Davidis, quomodo est ipse Dominus? respondere. Apparet autem ex hoc responso Phariseorum: 2. Quod non sufficiat tenere quædam doctrinæ cælestis capita, atque interim aliqua, quæ non minus sunt necessaria, ignorare, vel admixtione errorum depravare, sed depositum doctrinæ cælestis integrum esse conservandum. Pharisei rectè quidem statuebant, Messiam fore filium Davidis, sed quia negabant ipsum etiam esse Dei filium, ideo imperfecta illa noticia non fuit apud ipsos sufficiens ad salutem. 2. Quod Satan summis viribus omni tempore in Ecclesia hoc agat, ut doctrinam de persona & officio Messia corrumpat, quippe ex qua salutem hominum dependere novit. Deus in prima promissione de Messia satis luculente tum humanam tum divinam ejus Naturam patefecit; humanam quidem in eo, quod futurus sit semen mulieris ac proinde verus homo, divinam verò in eo, quod contritus sit caput serpentis, hoc est, destructurus regnum Satanæ & ex ipsius captivitate genus humanum liberaturus, ad quod verè divina potentia requiritur. Sed ab hac epodo conatus fuit Satan homines abducere, & errorem de negata Messia divinitate animis Judæorum instillare, post exhibitum Messiam modò divinam, modò humanam Christi Naturam per diversa hæreticorum agmina impugnavit. Cum primis verò divinitatem Christi non solum tempore Veteris Testamenti, sed etiam in Ecclesia N. Test. per Photinianos & Arianos acerrimè impugnavit, novit enim hanc esse fidei Christianæ & omnis solidæ consolationis acropolin. Nisi Christus credatur in personæ unitate verus Deus & verus homo, non poterit pro Mediatore, Redemptore ac Salvatore haberi. Hilar. lib. 9. de Trinit. p. 160. Nescit planè, nescit vitam suam, qui Christum ut verum Deum, ita & verbum hominem ignorat, ac ejus dem periculi res est, in Christo vel divinitatem vel carnem nostri corporis negare, alterum enim sine altero nihil spei tribuit ad salutem. 3. Quod fons & origo erroris sit, si quis pro oppositis habeat ea, quæ Spiritus S. in Scripturis habet pro subordinatis. Pharisei ex dictis, quæ Christum fore Davidis filium testantur, perperam colligebant, ipsum non fore filium Dei. At debuissent utrumque credere, utrumque confiteri, videlicet Christum & Davidis & Dei filium in personæ unitate futurum, utrumque enim disertis verbis in Scripturis docetur. Simile quid deprehenditur in omnibus hæreticis, de quibus Irenæus lib. 5. 13. p. 332. dicit: Quomodo in palastra insueti concerrantes, aliis unam quamlibet partem corporis totis complectentes manibus, per illud, quod continent, cadunt, & cadentes putant se vincere, eo quod contentiose teneant illud, quod primum apprehenderunt membrum, super hoc autem, quod ceciderant, & derisivi habentur: sic autem & hæretici duas dictiones tollent-

X x 2

tollen-

tolientes à Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dilectionum scrutari sune, nude autem ipsas dictiones tenentes circa eas moriuntur. Egregium hujus rei exemplum in Manichæo & Photino monstrat Vigilius lib. 2. cont. Eutychem. p. 34. *Manichæus* (inquit) dum tantarum virtutum miracula respicit, quas Dei Filius operatus est, non vult eum (Christum) hominem confiteri. Photinus dum in eo Naturam nostri corporis attendit, Deum non judicat, iste ut seminet virtutes, iste ut infirmitates repleat. Ille Deitatis præconia, ille humanitatis allegat. Illum majestas tanti nominis ab humanitatis professione revocat: Istum humilitas injuriarum, quas Deo cernit indignas, in hominis tantum confessione retractat. Illum miracula avocant, istum passiones retardant. Ille Deitate fallitur, iste humanitate offenditur. Ille dicit, Deus est; iste dicit homo est. Grande miraculum, ut expugnatione sui veritas confirmetur, & verum uterq; dicat, dum uterq; mentitur. Audi ergo Manichæi, quod Deus sit verum dicitis, quod & homo non sit, falleris. Audi Photine, verè homo est, ut asseris, licet non sicut asseris, sed idem & Deus est, quod impiè refugis; in tantum Deus, ut Manichæus hominem neget; in tantum homo, ut tu Deum esse non credas. 4. Quod depravatio legis & carnales de Christo opiniones occasionem præbeant erroribus de persona & officio Christi. Pharisei traditiones majorum secuti judicabant, externam duntaxat obædientiam in lege requiri, unde sibi persuadebant, se perfectè legem implere posse: ex hoc errore progrediebantur ad alterum, videl. beneficia à Messia expectanda fore duntaxat terrena. Quorum enim à Messia justitiam & salutem æternam expectarent, quam ex legis observatione sese sibimetipsis comparare posse persuasi erant? Ex hoc errore progrediebantur ad alium, videl. Messiam fore nudum hominem. Ad terrenum enim regnum stabiliendum non erat opus divinam Messie Naturam, cum David & alii Monarchæ amplissima obtinuerint regna, qui tamen nudi ac meri homines fuerunt. Sic ergo carnales cum essent, nihil nisi carnale in Messia quærebant, ac suo comprobatum dabant exemplo, quod sæcundus sit error, non ibi desinens, ubi inceptit.

3. Phariseorum responsioni subjungit Christus objectionem, quæ ad ulteriorem veritatis inquisitionem & diligentiorum Scripturæ perscrutationem eos invitare voluit. Et respondens Jesus dicebat ad illos: *Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium David?* Particula *quæ* ponitur hoc loco *adversative*, sicut exponitur apud Lucam. Verbum *respondendi* quidam statuunt in generali significatione hic usurpari pro eo, quod est verba facere, sermonem ordiri aut continuare, quo modo *ἀποκριθῆναι* usurpatur Matth. 15. v. 15. Marc. 11. v. 14. &c. quia Marcus hoc loco nihil aliud videtur *respondendi* verbo significare, quam quod Christum occasione plurimarum quæstionum ab adversariis sibi motarum etiam ipse quæstionem aliquam ipsis proposuerit. Quidam ex hoc verbo *respondendi* colligunt, plurimos ultro citroque inter Christum & Phariseos fuisse habitos sermones, antequam Christus hanc quæstionem ipsis proponeret. Sed ex Matthæo intelligitur, propriam hujus verbi significationem hic retineri posse. Refert enim Matthæus, Christum in templo docentem interrogasse Phariseos: *Quid vobis de Christo videtur? cujus filius est? cumque*

responsum ab illis tulisset, *Christum esse filium David*, excepit ipsorum responsum hoc argumento: *Quomodo poterit esse filius David, qui est Davidus Dominus?* Sed expendamus singula argumenti verba. Apud Lucam absolute quærit, *πῶς λέγουν*; Possit id accipi hoc modo, ut tertia persona pro verbo impersonali posita statuatur per usitatum Hebraicum, quo verba activa sæpius sumuntur impersonaliter. Genes. 15. v. 6. c. 16. v. 14. Job. 4. v. 19. c. 7. v. 3. Esai. 9. v. 6. Luc. 12. v. 20. &c. vel ex alio Hebraeorum idiotismo, quo verba activa tertia persona sine certo nominativo pronuntur, subaudito Benoni ejusdem verbi. Genes. 48. v. 2. Exod. 10. v. 11. Job. 27. v. 23. Mich. 2. v. 4. in duobus Codicibus Græcis additur pronomen *τινέσ*. Sed ex Marco manifestum est, subintelligendum esse nomen *Scribarum*, quod etiam Syrus hoc loco addit. Marcus enim verba Christi integrè sic recitat. *Quomodo dicunt Scribæ, ὅτι ὁ Χριστὸς υἱὸς δαβὶδ*. Quædam exemplaria legunt *ἔσται* in futuro, quod *Christus futurus sit filius David*, quando scilicet venerit, quæ ratione Christus loqueretur ex hypothesi Scribarum, qui putabant Messiam nondum venisse vel nondum adesse. Sed quia apud Lucam verba sic habent, *τὸν Χριστὸν υἱὸν δαβὶδ εἶναι*, & quia apud Matthæum Christus in præsentia prius quæsierat, *Cujus filius est Christus?* ideo probatissimi Codices apud Marcum itidem in præsentia legunt *ἔστι*, tacite enim Christus innuere voluit, frustra eos venturum adhuc Messiam expectare, cum jamdum venerit ac prætor sit, adeoque cum ipsis præsens loquatur. Quidam existimant, tertiã personam hic positam esse loco secundæ, *quomodo dicunt Scribæ*, hoc est, *quomodo vos Scribæ dicitis*, qualia exempla occurrunt Esai. 1. v. 29. Mich. 7. v. 18. Zachar. 3. v. 9. Mal. 2. v. 15. Luc. 1. v. 45. c. 19. v. 9. Act. 7. v. 6. Sed nõ opus est ut eò descendatur. Responderant Pharisei à Jesu interrogati, cujus filius sit Christus? Davidis filium ipsum fore. Responderant autem ex sententia Scribarum, qui præsentem etiam aderant, & cum quibus dubio procul negotium hoc communicaverant, ipsorum enim proprium officium erat Scripturas inter pretari. Christus igitur subjicit: *Quomodo dicunt Scribæ & vos cum eis*, quia explorum sententia respondistis, *Christum esse filium David?* Jansenius arbitratur, Scribis propterea hanc assertionem, quæ Christus filius David statuitur, tribui, quòd ea ex Scripturarum pendeat intelligentia, quarum enarratio ad Scribas pertinebat, maxime cum *Christum fore filium Davidis non aperte dicatur in Scripturis*, ut ex eis id quisq; intelligere possit, sed tantum significetur & indicetur, ita ut ut tantum ex illis hoc intelligere potuerint, qui accuratiores erant in Scripturarum intelligentia. Nusquam enim aperte *Christum dici filium Davidis*, sed Scribas intellexisse, id in Scripturis significatum Esai 9. v. 7. Mich. 5. v. 2. Sed ostendimus superius, extare hac de re factis perspicua V. T. dicta. Quidam statuunt hæc non ad Phariseos, sed potius ad populum de Scribis dicta esse, interim ad Phariseos & Scribas dirigi, propterea quod ipsi præsentem essent, cum Christus ad populum hunc sermonem haberet. Sed ostendimus superius, hæc omninò ad Phariseos dicta esse occasione eã, quod Christum dixerant *filium Davidis* sc. tantum. Christus igitur porrò ex ipsis quærit: *Quomodo Scribæ dicant Christum esse Davidis filium* sc. tantum,

tantum, neq; enim negatur Messiam esse Davidis filium, sed exclusiva duntaxat impugnatur, quod non sit tantum Davidis filius, ut statuebant Pharisei & Scribæ. Talia exempla, in quibus exclusiva difertis verbis non ponitur sed subaudienda est, etiã in aliis Scripturæ locis occurrunt. 1. Sam. 8. v. 7. Ez. 18. v. 27. Marc. 9. v. 37. 1. Joh. 3. v. 18. &c. Theophylact. in c. 22. Matth. *Hoc dicendo non negat Christum esse filium Davidis, sed monstrat, quod non sit purus homo ex solo Davidico semine descendens.* Hic sensus colligitur ex sequentibus verbis: *Quomodo ergo David in Spiritu Dominum eum vocat?* $\epsilon\upsilon\ \tau\omega\ \pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota$ illud Marcus sic exponit $\epsilon\upsilon\ \tau\omega\ \pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota\ \delta\omicron\gamma\iota\omega\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\omega\ \sigma\alpha\kappa\tau\omicron\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\omega\ \sigma\alpha\kappa\tau\omicron$ in Spiritu sancto, hoc est, per Spiritum sanctum, afflatus à Spiritu sancto, $\Phi\epsilon\rho\upsilon\delta\omicron\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\omega\ \sigma\alpha\kappa\tau\omicron$ actus & impulsus à Spiritu sancto, constat enim in genere de omnibus Prophetis & in specie de Davide, quod locuti fuerint & scripserint Spiritus sancti impulsu, ac quod Spiritus S. per ipsos locutus fuerit. De Prophetis in genere loquuntur hæc dicta. Luc. 1. v. 70. 2. Tim. 3. v. 16. 1. Pet. 1. v. 21. 2. Pet. 1. 2. r. quò pertinent omnia illa loca, in quibus ad divinam revelationem provocant. *Dixit Dominus, factum est ad me verbum Domini, audite verbum Domini.* De Davide in specie loquuntur hæc dicta 2. Sam. 23. v. 2. Psal. 45. v. 2. Act. 4. v. 25. & quia David expressè vocatur *Propheta* Act. 2. v. 30. ex eo colligitur, quòd in Spiritu fuerit locutus. Cum primis verò Christus respicere videtur ad locum 2. Sam. 23. v. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Syrus reddidit אמר דוד quod reddi potest in Spiritu & per Spiritum, utroq; enim modo præfixum אמר usurpatur. Vult autem Christus hoc אמר דוד non solum Prophetica Davidis auctoritatem stabilire, sed etiam argumento suo robur addere & tacitæ objectioni occurrere hoc sensu. Quando David Messiam vocat Dominum suum, non temerè nec humanã voluntate, sed ex Spiritu sancti impulsu & instinctu ac proinde ex revelatione divinã loquitur, utriq; ergo oraculũ illud Davidicum non est parvi faciendum, nec ejus auctoritas elevanda. Theophylactus in c. 22. Mat. *Non simpliciter ipsum nominat Dominum, sed in Spiritu, hoc est, per Spiritus gratiam ipsum revelavit.* Glossa interlin. ibid. *David vocat eum Dominum non de corde suo, sed in Spiritu S.* Argumentum autem ipsum sic habet: Filius præsertim nondum natus non solet vocari à Patre Dominus, præsertim si parens sit Rex potentissimus, nullum in terris superiorem agnoscens. Jam verò Messias à Patre vocatur Dominus. Ergo vel non ejus Filius, vel habet aliquam Naturam multò præstantiorem Naturã Davidis Regis, propter quam ab illo Dominus vocatur. Majorem tanquam notam & ab omnibus concessam præsupponit, probari autem posset contra protervè eam negantes. 1. *Ex lege divina*, quæ jubet ut filii honorent suos parentes, ex qua Siracides infert. c. 3. v. 8. *Qui timet Dominum, honorat patrem suum, quasi Dominus serviet his qui genuerunt.* 2. *Ab operibus Sanctorum exemplis.* Gen. 37. v. 10. cum Jacobus Patriarcha audiret somnium filii sui Josephi, quod à Sole, Luna & Stellis adorari sibi visus fuerit, increpavit eum pater dicens: *Quid sibi vult hoc somnium, num ego & mater tua adorabimus te ad terram?* quasi dicat: hoc non congruit legi divinæ, quæ jubet ut filii honorent parentes, non autem ut parentes honorent suos filios. 1. Reg. 1. v. 19. 26. Salomon jam designatus Rex

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

vocatur *servus Patris sui Davidis* à Bethsabea & Nathane cap. 2. v. 19. Salomon matri jubet collocari thronum ad dextram suam, cum jamdum regiã dignitate emereret, in signum honoris ac reverentiæ. 3. *Ex lege Naturæ* omnium hominum mentibus impressa. Testantur enim exempla gentilium, filios etiam Reges honorasse suos parentes, quamvis essent privatæ personæ. 4. *Ex æquitate*, quia Filius à Patre habet suum esse secundum Deum, meritò igitur honorem debet parenti. Si quis obverte-re velit, fieri posse, ut pater filium suum appellet Dominum, nimirum si filius evehatur in Regem, ac pater maneat privatus, ac dubio procul Jacobum filio suo Josepho Proregi totius Ægypti reverentiam exhibuisse, prout in somnio erat præfiguratum, proinde majorem in argumento Christi non esse universalem. Respondendum erit 1. Davidem, à quo Messias vocatur Dominus, non fuisse privatum, sed Regem potentissimum, quò non fuit dignior vel major inter omnes Reges Israëlitos, qui nullum in terris agnovit superiorem, qui non solum regno, sed etiam prophetiã & Patriarchatu præcellunt. Major igitur plenè & integrè formanda est. Pater, qui Rex est & neminem nisi solum Deum superiorem agnoscit, non potest filium suum vocare dominum. 2. Davidem non absolutè & simpliciter Messiam vocare Dominum; hæc enim appellatio honoris causã quandoq; inferioribus vel æqualibus tribuitur, sed suum Dominum, quæ relatio importat superioritatem quandam Messie supra Davidem, ut pater filium suum appellet *Dominum suum*, non tantum requiritur, ut filius dignitate major sit patre, verum etiam ut pater sublit filio ut inferior superiori, vel ad minimum ut à filio ipsius dignitas dependeat, alioqui non vocabit filium etiam se excellentiorem suum Dominum. Sic Philippus Macedo ex oraculo cognoverat, filium Alexandrum fore totius orbis domitorem ac se longè majorem, neque tamen unquam ipsum salutavit Dominum suum. 3. Davidem vocare Messiam Dominum, non suo tantum, sed totius Ecclesiæ Israëlitiæ nomine, quia Psalmum illum, ex quo Christus minorem argumenti probat, Ecclesiã in publicis conventibus decantandum tradidit. Jam verò qui non solum potentissimi Regis, sed etiam totius Ecclesiæ caput est & Dominus, ille non potest esse merus ac nudus homo. 4. Davidem Messiam vocare Dominum suum, cum nondum esset in carne exhibitus: Filius & nepos nobis esse potest, qui post nos futurus est, sed Dominus noster esse non potest, nisi qui aut nobis $\sigma\upsilon\gamma\ \gamma\epsilon\upsilon\omicron\iota$ aut ante nos est. 5. Davidem Messiam vocare talem Dominum, qui *sedeat ad dextram ipsius Jehovæ Patris cœlestis*, per quam sessionem $\text{ιστομιαν \& ισοθρονιαν}$ Messia cum vero Deo Patre cœlesti denotari suo loco inferius demonstrabimus. Hæc omnia si conjungantur, invictum robur propositione Majori conciliabunt. Syrus verbum καλειν reddidit per אמר quod non solum vocare, sed etiam invocare significat, quæ significatio huic loco optimè accommodari potest, quia David Messiam non tantum vocavit Dominum, sed etiam eum, utpote verum cum Patre & Spiritu sancto Deum, ex vera cordis fiducia invocavit. Minorem argumenti sui probat Christus ex Psal. 110. v. 1. *Nam ipse David dicit afflatus Spiritu sancto in libro Psalmorum. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum*

Xx 3

bellum

bellum pedum tuorum. Apud Lucam habetur particula & posita pro adversativa. & αὐτός Δαβὶδ εἶπεν, cum tamen ipse David dicat vel dixerit, ponitur enim εἶπεν in forma prateriti. In voce αὐτός est magna emphasis. Ipse David, qui fuit & Rex & Propheta & Patriarcha, qui promissionem accepit de Messia ex femine sive posteritate sua nascituro, ille ipse dicit in Spiritu sancto sive per Spiritum sanctum. In hoc loquendi genere itidem singularis quædam inest ὀνειργεῖα, quæ significatur, non tam Davidem locutum fuisse, quam Spiritum sanctum per ipsum, qui ipsum ad hoc dicendum impulerit, & ipsum quasi possederit, cum hoc diceret, sicut de Apostolis itidem ex immediato Spiritu sancti afflatu locutus Christus dicit Matt. 10. v. 20. Marc. 13. v. 11. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus, hoc est, non tam vos loquimini, quam Spiritus sanctus, qui in vobis est & per vos loquitur, quod accommodari potest regula Logicorum, quod effectus magis reducatur ad causam efficientem principalem quam instrumentalem. Dixit verò hoc in libro Psalmorum, qui πνευματικῶς non solum sedem hujus dicti monstrat, sed etiam quandam rationem præcedentis membri continet, quod David in Spiritu sancto hoc protulerit. Nam in Ecclesia Israëlita erat extra controversiam, quod David librum Psalmorum non conscripserit humano arbitrio, humanâ voluntate, sed Spiritus sancti instinctu, à quo nihil erroneum, nihil temerarium, nihil supervacaneum, nihil repugnans aliis Scripturæ dictis, nihil adulatorium, nihil otiosum aut ad ornatum duntaxat faciens. ad rem verò minimè pertinens, proficisci potest. Hieron. Epist. 137. notat, Christum propterea in singulari vocare librum Psalmorum, quia quamvis in quinque volumina sive חמשה חלקים apud Hebræos dividatur, in quorum ultimo Psal. 110. continetur, omnes tamen uno libro comprehenduntur, quem Hebræi vocant ספר המזמורין librum divinarum laudum. Merito etiam Christus hunc Psalmum Davidi tribuit, cum in Πνευματικῶς disertè vocetur לְדָוִד מְזֻמָּר cantus Davidis. Augustinus quidem lib. 17. de civit. Dei cap. 14. scribit: huic Psalmo non esse additum, quod sit Davidis, & ex eo colligit, omnes omnino Psalmos Davidi esse tribuendos, cum hic Psalmus Davidi à Christo tribuatur. In Psalmis, inquit, nonnulli volunt, eos factos esse à Davide, qui ejus nomine inscripti sunt. Sunt etiam qui putant, non ab eo factos, nisi qui prænotantur ipsius David, qui verò in titulis habent ipsi David, ab aliis factos personæ ipsius fuisse coaptatos, quæ opinio voce Evangelicâ ipsius Salvatoris refutatur, ubi ait, quod ipse David in Spiritu Christum dixerit esse suum Dominum, quoniam Psal. 109. sic incipit: Dixit Dominus Domino meo. Et certè item Psalmus non habet in titulo ipsius David, sed ipsi David, sicut plurimi. Mibi autem credibilis videntur existimare, qui omnes illos 150 Psalmos ejus operi tribuunt, cumque alios prænotasse etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat, figurantibus, ceteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse, sicut ei varietatis hujus dispositionem, quamvis latebrosam non tamen inanem Deus inspiravit. Sed præfixum λ non tantum pro dativo ponitur, sed etiam pro genitivo, ut apparet ex collatione Ps. 121. v. 1 cum Ps. 120. v. 1. quo modo hic accipiendum esse patet ex Ps. 51. v. 1. qui vocatur cantus דָּוִד quem tamen ab ipso Davide compositum ef-

se ex reliquis inscriptionis verbis manifestè colligitur, ac si Psalmi illi, qui vocantur לְדָוִד LXX. τῶ Δαβὶδ, non haberent autorem ipsummet Davidem sed alium, paucissimos imò ferè nullos à Davide compositos habereimus. LXX. enim in nullius Psalmi epigraphæ, ponunt ψαλμοὶ δὲ Δαβὶδ, sed semper τῶ Δαβὶδ. Idem judicium est de eo, quod quidam putant genus revelationis per Spiritum distinguui hoc loco ab alio revelationis genere, quod fit per Prophetiam. Per Spiritum sanctum (inquiunt) genus est revelationis divinæ proxime gradu prophetiam sequens, unde liber Psalmorum recensetur inter חמשה חלקים quia scriptus per Spiritum Sanctum. Greci tales libros vocant hagiographos, est enim sermo brevius prophetiam, quod est in libro חמשה חלקים scripti per Spiritum sanctum. Sed cum tota scriptura sacra sit πνευματικῶς Tim. 3. v. 16. ac omnes Prophetæ dicantur locuti Πνευματικῶς inspirati à Spiritu sancto 2. Peti. 1. v. 21. idèò distinctio in Rabinorum inter Prophetiam & Spiritum, itemque inter libros Propheticos & hagiographos multum tribui potest, ut ostendimus in Exegesi tom. 1. Locorum de Script. sacr. §. 58. Verba ipsa Psalmi. quæ Christus adducit, sic habent: Dixit Dominus Domino meo: דָּבַר יְהוָה אֱלֹהֵי יְהוָה dixit Dominus vel dictum Jehovah ad Dominum. Euthymius notat, Hebræam dictionem דָּבַר ad præteritum præfens & futurum tempus referri ac indifferenter hic accipi posse, sicut Prophetæ indifferenter utuntur temporibus propter vaticiniorum certitudinem. Nam per illud dixit denotatur. Aeternum Dei decretum, quod Deus Pater ab æterno tale decretum fecerit, quod Filius ex ipsius substantia ab æterno genitus ipsiq; ὁμοούσιος in plenitudine temporis debeat humanam Naturam assumere, in ea ob generis humani redemptionem, passionem & mortem sustinere, ac postmodum gloriose resurgere, in cælum ascendere, & ad dextram Dei exaltari, sicut hæc explicatio in ultimo hujus Psalmi 110. versiculo additur. De torrente in via bibet, hoc est, passiones varii generis torrentis inllat in ipsum irruent, sed propterea exaltabit caput in sua resurrectione, in cælum ascensione & ad dextram Dei sessione. Ut enim est quidam λογικῶς ἴσως sive ὀνομαστικῶς sermo internus, ita dicere Hebræis sapientius idem significat, quod cogitare, decernere, Numi. 14. v. 35. ego Dominus locutus sum; Targum דָּבַר דָּעֵרִי in verbo meo. 1. Reg. 14. v. 11. quia Dominus locutus est; Targum דָּבַר דָּעֵרִי ita. cap. 22. v. 23. Dominus locutus est super te malum; Targum דָּעֵרִי דָּבַר דָּעֵרִי adducere malum, hoc aliàs vocant Hebræi loqui in corde vel super corde suo Gen. 24. v. 45. 1. Sam. 1. v. 13. Eccl. 1. v. 16. LXX. λαλεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ σου. 2. Decreti illius promulgatio facta in tempore. Deus enim non solum ab æterno fecit decretum de Filio suo in carnem mittendo & post passionem ad dextram suam exaltando, sed etiam in tempore illud revelavit, tum immediate, & quidem statim post lapsum, quando primam Evangelicam promissionem de semine mulieris caput serpentis contrituro edidit Genes. 3. v. 15. tum mediate, quando per Patriarchas & Prophetas de adventu, persona, officio & beneficiis Messie vaticinatus est, hæc enim vaticinia nihil aliud sunt quam repetitio & uberior declaratio primæ illius Evangelicæ promissionis; quod pertinent cum primis illa dicta

dicta, quæ de æterno Messia regno loquuntur. Si enim æternum debet habere regnum, utiq; oportet ipsum ad dextram Patris exaltari & in Patris dextra potenter omnibus suis hostibus dominari. Illustris cum primis est visio Prophetica Dan. 7. v. 13. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli q. filius hominis veniebat, & usq; ad Antiquum dierum pervenit & in conspectu ejus appropinquare fecerunt eum.* v. 14. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & lingue ipsi servient; potestas æterna, que non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ut enim est quidam λόγος ἔγωγος vel ὁμοούσιος ita Hebræis דָּבָר dicere usitatissime significat *sermone aliquid proferre, eloqui, &c.* Genes. 21. versic. 1. Jerem. 7. versic. 22. 3. *Decevit illius executio.* Quod Deus ab æterno decrevit & in tempore per Patriarchas & Prophetas se facturum promisit, illud tandem ipso opere complevit, hoc est, misit Filium suum in carnem, impositi ipsi totius generis humani peccata, ut pro iis per acerbissimam passionem & ignominiosissimam mortem satisfaceret, postmodum gloriose ipsum ex mortuis eduxit, & ad dextram suam in cælestibus collocavit. Dei enim dicere est facere, ac דָּבָר Hebræis non solum significat *sermonem*, sed etiam *rem*. Dixit ergo Deus, non nudis tantum verbis, non verbo tantum vocali per Prophetas edito, sed re ipsa dixit. Ut enim ipso dicente & efficaciter volente facta sunt omnia Gen. 1. v. 3. Psal. 135. v. 5. Sic ipso volente & statuerente Filius ad dextram ejus confedit. Ex quibus omnibus apparet, verbum *dixit* non solum pro futuro ponitur Propheticum, sed etiam præteriti significationem retinere posse propter æternum Dei decretum de hac Filii ad dextram Patris sessione ab æterno factum & in tempore promulgatum. Quando autem *Dominum Domino suo dixisse* David asserit, priore loco ponitur nomen *Jehovah*, quod est solius veri Dei proprium nec uspiam in tota Scriptura vel creaturis vel fictitiis Numinibus tribuitur. Posteriore loco quidam scribunt nomen *Adonai* cum *camez*, quod itidem est solius veri Dei proprium. Sed Hieronym. in comm. Ps. 109. rectè monet, & ἀδωναι textus ostendit, non Adonai, sed Adon cum affixo relativo Jod hic haberi. *Dixit Dominus* לַדְּבָרִי *Domino meo.* Nomen illud Adon itidem vero Deo in Scripturis tribuitur Exod. 23. v. 17. Josu. 3. v. 11. quia est אֲדֹנָי הַעֲלִיּוֹן *Dominus mundi* אֲדֹנָי כָּל-הָאָרֶץ *Dominus univèrse terræ*, ut à Josua ibidem vocatur, ac ratio hujus nominis pulcherrimè Deo congruit, est enim אֲדֹנָי *basis & fundamentum* omnium, hoc est, sustentator totius universi Coloss. 1. versic. 17. unde etiam ab Hieronymo in Epist. ad Marcellam tom. 3. p. 95. inter decem Dei nomina refertur, interim tamen nomen Adon non est solius veri Dei proprium, sicut Jehovah & Adonai cum *camez*, sed interdu etiam tribuitur hominibus Gen. 18. v. 12. Jud. 19. v. 27. &c. Proinde ex solo nomine Adon Messia attributo non posset Messia divinitas apodicticè demonstrari. Quia verò Messias hic vocatur talis Dominus, qui sit non solum Davidis Regis potentissimi ac neminem in terris superiorem recognoscentis, sed etiam totius Ecclesiæ Israeliticæ Dominus, quique ad dextram Patris sedens æquali honoris gradu & potestate cum ipso fruatur, ex eo immotè evinci potest, Messiam non tantum Davidis filium & ve-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

rum hominem, sed etiam Davidis Dominum & verum Deum esse. Vis ergo argumenti propriè & principaliter non consistit in propria significatione vocis, Adon sed in relatione ad Davidem & in sessione hujus Domini ad Dei dextram. *Dixit enim Dominus huic Domino Davidis. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non eam duntaxat Psalms partem Christus adducit, quæ videbatur ipsius instituto satisfacere, videlicet quod David Messiam vocet Dominum suum, & quidem talem, qui sedeat ad Dei dextram, sed etiam addit, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, ut ostendat, Messiam fore omnium hostium suorum victorem, ac proinde timorem Pharisæis, à quibus hostiliter oppugnabatur, incutiat. Cum enim Jesus ab universo fere populo pro Messia haberetur, quod Pharisæis non erat ignotum, inde cogitandum ipsis relinquit, quid tandem ob stiles illos conatus eis sit eventurum, videlicet illud ipsum, quod Propheta Regius de Messia hostibus prædixit, cumque præ stupore & cæcitate mentis hoc loco illud intelligere nollent, postea in Historia passionis commentarium q. horum verborum & directam ad Pontifices & Pharisæos applicationem subjungit Matth. 26. v. 64. *modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Pari ratione etiam hoc loco David dicit, Messia à Patre cælesti esse dictum: *Sede à dextris meis.* וְיָסֵב עִמִּי *sede tu.* Non dicit, ego collocabo te ad dextram meam, ut ad Patrem collocatio illa referatur, quæ loquendi formæ de exaltatione illa Christi Scriptura utitur Ephes. 1. v. 20. Phil. 2. v. 9. Hebr. 2. v. 6. &c. sed dicit, *וְיָסֵב עִמִּי* sede ipse à dextris meis, quam loquendi formulam de exaltatione Christi Scriptura usurpat Matth. 19. versic. 28. cap. 26. v. 64. cap. 25. versic. 31. Marc. 16. v. 19. Actor. 2. v. 30. Heb. 1. v. 3. cap. 8. v. 1. cap. 10. v. 12. cap. 12. v. 1. Ut enim Pater cælestis dicitur Christum resuscitasse Rom. 6. v. 4. cap. 8. v. 11. Eph. 1. v. 20. Heb. 13. v. 20. & nihilominus Christus ipse dicitur propriâ virtute resurrexisse Joh. 2. v. 19. c. 10. v. 18. ita Pater dicitur Christum collocasse ad dextram suam, & nihilominus Christus ipse dicitur confedisisse ad dextram Patris cælestis. 1. Ut denotetur Patris & Filii ὁμοούσιος & ex eo originem ducens operum ταυτότης, ac modi in agendo ὁμοιότης Joh. 5. v. 19. 2. Ut intelligatur Christo hanc collocationem ad dextram Dei secundum humanam Naturam in tempore contigisse, ac proinde relationem inter Patrem exaltantem & Filium exaltatum intelligendam esse non respectu divinæ Naturæ, juxta quam eandem cum Patre essentiam ab æterno habet, sed respectu assumptæ humanæ Naturæ, juxta quam in tempore exaltari potuit & verè exaltatus est. Cyrillus libr. 8. thesauri cap. 1. *Atq; sicut Filius semper est ut Deus, exaltatur ut homo, nullius rei indiget ut Deus, & tamen multa ut homo accipit. Naturæ humane proprium est à Deo accipere, ut homo igitur per gratiam à Deitate accipit, que ut Deus naturaliter habet. Quare à se quoque ipso ut Deo ipsemet accipit ut homo. Nam si omnia Pater per Filium facit, necesse est credere, quod ipse sibi exaltationem dedit & gratiam Patris Deificato assumpto templo. Gratia igitur ipsi ut homini accidit & exaltari dicitur propter carnem. Sede, inquit, à dextris meis.* Heb. יָסֵב עִמִּי ubi subintelligitur יָמֵינוּ manus, LXX. ἐκ δεξιῶν ubi subintelligitur μέγαν, membra in dextro

Xx 4

in dextro latere. Quia verò Deus non est corporeus dextram vel sinistram manum habens, sed est Spiritus ἀσώματος Johan. 4. vers. 24. ex eo manifestum est, non κωλύως, sed μετὰ Φορικῶς καὶ ἀνθρώπων τῶς dextram ipsi tribui, quod ipsum etiam de sedendi voce accipiendum. Epiphanius in anchorato pag. 504. τὸ καθήκει μὴ πάλιν ἀπολάμβαναι ἀνθρώπων, ἀλλ' ἀνεκδιηγήτως καὶ ἀκαταλήπτως. Sedet, ne accipias humano sensu, sed ineffabili & incomprehensibili. Athanas. ad Antioch. tom. 2. pag. 332. δεξιῶν ἀκίων τῶ θεῷ μὴ τόπος καὶ ὁμήματα δόξης περιεραθεῖ, δεξιά γὰρ καὶ πρὸς τῶν περιεραφομένων ἐστίν, οὗς θεὸς ἀπλασῆ καὶ ἀορίστῆ καὶ ἀρχηγατῆ καὶ ἀπερίγραπτῆ ἐστίν. Cyrill. lib. 12. thesauri cap. 14. Quando de Deo sedere & sedes aut solium dicitur, nihil aliud intelligitur nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter super omnes habet creaturas. Magna enim amentia est, sessionem & sedem aut omnino situm aliquem tribuere, sed que corporaliter nostro more de ipso scribuntur, convenienter intelligenda sunt. Quamvis verò nomen dexterae variis modis in Scripturis in sensu metaphorico accipiat, non tamen propterea dubium & incertum est, quid per phrasin sedere ad dextram Dei hoc loco sit intelligendum, cum Spiritus S. non solum phrasin ipsam, sed etiam voces simplices hujus phrasios in aliis Scripturae locis satis manifeste exposuerit. Explicatio ex collatione sequentium Scripturae locorum peti potest. Quod David hoc loco dicit, Messia à Patre cœlesti dictum esse, sede à dextris meis, id Dan. 7. vers. 13. & 14. sic exponitur: Filius hominis venit ad Antiquum dierum, & dedit ei potestatem, honorem & regnum, & omnes populi, tribus & lingua ipsi servient, potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur. Ergo collocari ad Dei dextram est accipere aeternam potestatem & regnum aeternum. Sic quod hoc loco dicitur, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, illud 1. Cor. 15. vers. 25. exponitur hoc modo: Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Ergo sedere ad dextram Dei est regnare. Sic quod Marc. 16. vers. 19. dicitur: Jesus assumptus est in caelum & sedet à dextris Dei, id Ephes. 4. v. 10. sic exponitur: ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia. Ergo sedere ad dextram Dei est omnia implere, videlicet universali omnipotente & omnipresente in caelo ac terra dominio. 1. Petr. 3. v. 22. dicit Apostolus: Christus est in dextera Dei profectus in caelum subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus, ubi verba posteriora sunt ἐξηγητικά priorum. Ergo sedere ad dextram Dei est subiectos sibi habere Angelos, potestates, virtutes, adeoque omnia, sicut Psalm. 8. v. 7. additur: Omnia subiecisti sub pedibus ejus. Cum primis verò Eph. 1. v. 20. & seqq. perquam emphaticè describitur, quid per sessionem Christi ad Dei dextram sit intelligendum. Deus Pater suscitavit Christum à mortuis, & collocavit eum ad dextram suam in caelestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet. Ex quibus omnibus manifestè colligitur, per τὸ sedere ad Dei dextram intelligi potentissimum dominium totius universi, subiectionem omnium

quae sunt in caelo & in terra, plenariam usurpationem divinæ potestatis ac majestatis in administratione regii officii, &c. qualis explicatio hujus phrasios traditur etiam in tercio articulo Angulstan. Confess. Ascendit ad caelos, ut sedeat ad dextram Dei, hoc est, perpetuò regnet ac dominetur omnibus creaturis. Idem colligitur ex vocibus simplicibus. τὸ sedere de Deo usurpatum regiam ipsius majestatem & potestatem denotat. 1. Reg. 22. v. 19. 2. Paral. 18. v. 18. Pf. 9. v. 5. Pf. 29. v. 10. Efa. 6. 1. Dextera Dei in Scripturis sic describitur, quod magnificata sit fortitudine & confringat inimicos Exod. 15. v. 6. quod pios fulciet Pf. 18. v. 36. salvet ac liberet Pf. 44, 4. Pf. 108. vers. 7. sustentet Pfal. 63. vers. 9. quod faciat virtutem Pf. 118. vers. 16. omnia possit mutare Pf. 77. vers. 11. sit ubique praesens Pfal. 139. vers. 10. quod sit dextera majestatis Hebr. 1. vers. 3. thronus μερλοδοῦνός in caelis Hebr. 8. v. 1. dextera sedis Dei Hebr. 12. v. 2. thronus δόξης Matth. 25. v. 31. dextera δυναμείας Matth. 26. v. 64. Luc. 22. v. 69. quae omnia luculentè testantur faciunt, per sessionem ad dextram Dei intelligendam esse communicatae divinæ majestatis & potestatis plenariam usurpationem in potentissimo ac praesentissimo caeli terraeque dominio. Haec majestas & potestas verè divina Christo data est secundum humanam Naturam, quod probatur 1. Ex Natura Deitatis. Secundum divinam Naturam Christus est ipsa Dei dextera & virtus. Luc. 1. v. 35. 1. Corinth. 1. v. 24. Ergo secundum eam non est effectus ad Dei dextram. 2. Ex tempore collocationis. Christus in tempore collocatus est ad Dei dextram, ut David hoc loco innuit, & manifestius elucet ex Matth. 26. v. 64. a modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei Marc. 16. vers. 19. postquam locutus est, assumptus est in caelum & confedit à dextris Dei. 3. Ex modo concludendi Apostolico. Paulus 1. Corinth. 15. vers. 8. probat resurrectionem Christi ex sessione ad dextram Dei, ex quo sic inferimus, Cui Naturae competit id quod demonstratur, illi etiam tribui debet argumentum, aliis non esset ductum ἐξ ἐκείνων, nec esset rei demonstrandae & medii demonstrativi apta connexio. Jam verò resurrectio competit Christo secundum humanam Naturam. Ergo etiam sessio ad Dei dextram secundum humanam Naturam ipsi tribuenda. 4. Ex descriptione illius collocationis. Paulus Ephes. 1. v. 19. afferit, Deum omnia robur suum exeruisse in Christo resuscitando & ad dextram suam collocando. At hoc non potest intelligi de Christo secundum Deitatem. 5. Ex gratiae adjunctione. Paulus Philip. 2. v. 9. utitur verbo ἐξ ἀφ' οὐρανοῦ Deus ex gratia donavit Christo nomen. Jam verò Christus secundum Deitatem nihil habet ex gratia, alioquin non esset Naturā Deus. 6. Ex domini collatione. Actor. 2. v. 36. Christus in tempore dicitur factus Dominus. Jam verò secundum divinam Naturam hoc de eo dictum accipi nequit, quippe secundum quam natus est Dominus ab aeterno, per aeternam scilicet à Patre generationem. 7. Ab exinanitionis & exaltationis connexionione. Secundum quam Naturam competit Christo exinanitio, secundum eandem competit ipsi collocatio ad Dei dextram, quae est exaltatio, ut ostendit mutua connexio in hoc ipso Pf. 110. v. ult. de torrente in via bibet כּוֹ יַי propterea exaltabit caput. Jam verò secundum humanam Naturam exinanitio ipsi competit.

competit. E. 8. *A potestatis communicatione.* Secundum quam Naturam Christo in tempore data est omnis potestas in cœlo & in terra, secundum eandem quoque ad dextram Dei est collocatus, quia ad dextram Dei collocatio nihil aliud est, quam communicatæ illius majestatis & potestatis divinæ plenaria usurpatio. Jam verò secundum humanam Naturam Christo in tempore data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in Harmon. de resurr. & in locis de pers. Christi multis argumentis fuit evictum. Ergo. Accedit 9. *Patrum testificatio.* Gregor. Nyssenus referentis Theodoret. Dial. 2. *ἡ δεξιά τῆς δεξιᾶς τοῦ ἐνοχίου τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ ἀνθρώπου εἰς ἰσὺν οὐκ ἀνθρώπων.* Cyrill. in lib. de recta fide ad Regin. *Christus sedet ad dextram Dei in humanitatis conditione & assumpto corpore, quod mori poterat, &c.* Hieronym. in Psalm. 109. *Deus non sedet, assumptio corporis sedet. Huic ergo accipitur ut sedeat, qui homo est, qui assumptus est. Hoc adversus Arianos dicimus, & adversus eos, qui dicunt: Major est Pater, qui jubet ut sedeat, quam ille cui jubetur. Omnia Evangelia personant de persona hominis, & nunc non necesse est approbatio, quia omnia, quæcunque vilia videntur, referuntur ad hominem, referuntur ad carnem.* Augustin. contr. serm. Arian. cap. 12. *Illud sede ad dextris meis in carne completum est efficaciter, & suo tempore in carne sedet ad dextram Patris.* Tract. 111. *Illud forma servi levata est, quam sumisit ex Virgine & ad dextram Patris collocata.* Vigil. lib. 4. contr. Eutych. *Quæ Natura est, cui dixit, sede ad dextram meam, esto meæ particeps sedis, illa nimirum Natura, quæ audierat, terras & in terram ibis. At, inquis, sedere ad dextram Dei est regnare: Christus secundum utramque Naturam regnat. Ergo secundum utramque Naturam sedet ad Dei dextram.* Resp. est ambiguitas in voce regnandi. Regnat Christus ut Deus per naturalem sive essentialem suam omnipotentiam, quam per æternam generationem à Patre accepit, regnat etiam ut homo à tempore exaltationis, non per essentialem humanitatis suæ omnipotentiam, sed per unionem personalem & sessionem ad Dei dextram, unde sessio ad Dei dextram non absolute & simpliciter significat regnum, sed etiam connotat causam, unde illud sit profectum, ut monet Nazianzen. orat. 4. de Theol. Christus ut Deus propriè & accuratè loquendo non sedet ad Dei dextram, sed est ipsa Dei dextra, sed ut homo in tempore ad dextram Dei erectus, vi illius sessionis omnia in cœlo ac terra præsentissimè & potentissimè gubernat. Ex quo etiam intelligitur, quando Christ⁹ ad dextram Dei sedere cœperit? Glossa Ordin. dicit, quod *Filius Dei ab æterno sederit ad dextram Dei.* Verum quidem est, quod Christ⁹ secundum divinam Naturam, juxta quam est unum cum Patre Joh. 10. v. 30. sit ejusdem potestatis & gloriæ cum Patre, quodque jam inde à mundi exordio cum Patre operetur & regnet Joh. 5, 17. sed hæc potestas, hoc regnum, quod *ἀρχὴ* cum Patre & Spiritu S. administravit, nupiam in Scripturis vocatur sessio ad dextram Dei. Dionysius Carthusianus in cap. 2. Matth. scribit: *Christo homini datam esse hanc potestatem ab incarnationis principio, quantum ad potestatis possessionem, in resurrectione quantum ad ejus manifestationem, in die judicii ei dandam quantum ad executionem.* Verum quidem est, in primo statim incarnationis momento Christo

secundum humanam Naturam communicatam esse divinam & infinitam illam potestatem, quæ omnia in cœlo & terra gubernat; verum est & illud, quod assumpta Natura humana cum Filio Dei, qui est ipsa Dei dextra & virtus, in primo incarnationis momento personaliter fuerit unita, atq; hoc respectu ad dextram Dei à quibusdam dicatur exaltata; nec minùs verum est & illud, quod Christus poruisset à primò statim incarnationis momento communicatam divinam potestatem plenè usurpare, nisi spontè se humiliasset, formam servi assumpsisset, & propter nos ac nostram salutem plenario illo usu sese evacuasset. Interim tamen *Scripturæ sessionem ad dextram Dei perpetuò ponit tanquàm consequens exinanitionis*, ut patet ex omnibus dictis, quæ de hac sessione loquuntur, & ex hoc ipso Psalm. 110. v. ult. *de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Propriè igitur & accuratè juxta *Scripturæ ductum loquendo per sessionem ad dextram Dei non intelligitur ipsa incarnatio vel divinæ potestatis communicatio, sed potestatis communicatæ plenaria usurpatio, quæ exinanitionem secuta est, & in resurrectione atq; ascensione ad cœlos initium accepit.* Marc. 16, 19. Eph. 1, 20. Hebr. 1, 3. I. Petr. 3, 22. &c. At, inquis, si collatio ad Dei dextram Christo secundum humanitatem competit, ipsiq; demum post passionem & mortem in exaltatione humane Naturæ obtigit, quomodo Christus ex hac sessione ad Dei dextram contra Phariseos probat, Messiam non esse tantum Davidis filium & verum hominem, sed etiam verum Deum? Resp. primaria & principalis ratio ducitur ex eo, quod David Messiam vocet *Dominum suum*, sicut apparet ex ipsa verborum forma: *Si David vocat eum Dominum, unde & quomodo filius ejus est*, inquit. Præterea si vel maximè ad humanam Christi Naturam hæc collocatio ad dextram Dei refertur, nihilo tamen minùs æterna Christi Deitas ex eadè sessione immotè evinci potest. Neq; enim potuisset ei secundum carnem hæc exaltatio obtingere, nisi persona, cujus hæc caro facta est propria, esset Naturæ Deus. Unde notanter dicit Epistola ad Hebræos cap. 1. v. 13. *Cui Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis*, q. d. hæc dignitas non competit nec potest competere ulli Angelorum, nedum nudo acmero homini. Quomodo ergo Cyrillus libr. 4. in Johan. cap. 19. rectè sic concludit: *Caro Christi verè est vivifica: Ergo necesse est, ut persona, cujus hæc est caro, sit verus DEUS: ita rectè concludere possumus. CHRISTUS secundum humanam Naturam sedet ad dextram DEI: Ergo hæc humana Natura est Filio DEI personaliter unita, & per conseq. Christus est verus DEUS.* Illud probe expendens Hilarius can. 23. in Matth. sic commentatur: *Erat quidem verum, Christum ex semine David procreandum, sed similitudo nominis, quæ Dominus Domino dicebat, & quæ à dextris collocabat, donec omnes inimicos subderet pedibus ipsius, significabant & de consortio nominis substantiæ unitatem, & de assidendi invitatione judicium, & de universorum subjectione virtutem, ut meminisset in eo, qui ex David oriebatur, æternæ virtutis & originis substantiam contineri & DEUM in homine mansurum.* Augustinus expendit verbum dixit, eodemque ad Verbum hypostaticum nos revocari arbitratur, sic enim scribit contra ser-

mon.

mon. Arian. cap. 12. *Quomodo Filius audit Patrem, quomodo dicuntur à Patre multa verba unico verbo? quomodo transeunter loquitur ei, quem stabiliter loquitur, quomodo aliquid temporaliter ei dicit, in quo sibi coeterno jam erant omnia, qua congruis quibusq; temporibus dicit, quis hæc audeat querere, quis valeat invenire? Et tamen dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam, & quia dictum est, ideo factum est. Hoc ergo jam erat in verbo, quod Verbum caro factum est. Et quia in verbo ante carnem jam erat veraciter, ideo in carne completum est efficaciter. Quia in verbo jam erat sine tempore, ideo in carne completum est suo tempore, in qua carne ascendit in cælum, qui de cælo non recessit, & cum inde descendit, & in qua sedet ad dextram Patris brachium Patris, & in qua descensurus est ad iudicium. Sed prior explicatio est simplicior. Verbum enim hypotacticum rectius intelligitur per nomen Domini secundo loco positum, quam per vocem dixit. Sic ergo in allegato dicto Prophetico ex Psalm. 110. v. 1. quatuor assignantur causæ, propter quas Christus est Filius Dei incarnatus dicitur Davidis Dominus. 1. Quia est verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, ut ex ipsis verbis evidenti consequentiâ paulò antè ostendimus. 2. Quia ratione officii est Redemptor Davidis & totius Ecclesiæ Israeliticæ, quod ipsum innuitur, quando David eum vocat suum Dominum. Dicitur enim Christus Dominus noster, quia nos per peccatum in potestatem Satanæ redactos potenti manu liberavit, sibi que jure redemptionis nos asseruit, ut sic duplici jure, videlicet tum creationis tum liberationis sit noster Dominus. 3. Quia secundum humanam Naturam est collocatus ad Dei dextram. Filius enim Dei in temporis plenitudine assumpsit humanam Naturam, atque ut in ea & per eam redemptionis officium perficeret, exinanivit seipsum, cum esset in forma Dei Philip. 2. v. 6. (hoc est, cum majestatem sibi secundum assumptam Naturam communatam pleno fulgore exerere potuisset) & in sua illa exinanitione factus est obediens Patri usq; ad mortem, mortem autem crucis v. 8. Propter quod & Deus in summam altitudinem ipsum extulit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen v. 9. hoc est, fecit illum Dominum Actor. 2. v. 36. *subjecit omnia pedibus ipsius* Psalm. 8. vers. 7. id quod David in illo ipso Psalmo sic effert: *De torrente in via bibet, videlicet in ignominiosa passione, propterea exaltabit caput, videlicet in gloriosa resurrectione, ascensione & ad dextram Dei sessione.* Quia ergo Filius Dei non solum juxta divinam Naturam est Dominus per æternam à Patre generationem, sed etiam juxta humanam Naturam constitutus est omnium Dominus & potestas omnis carnis ipsi data Joh. 17. v. 2. ideo merito etiam hoc respectu nomen Domini ipsi tribuitur. 4. Quia in sua exaltatione omnes hostes pedibus suis subjectos habet, disertè enim additur in Psalmo: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Particula *donec* ita ponit tempus præsens, ut non excludat sequens. Neque enim sensus est, quod Messias sit quidem sessurus ad dextram Dei, usque dum omnes inimici subjiciantur pedibus ejus, postea verò non amplius ad eam sessurus, sed continet hæc particula vim absolutæ affirmationis, non excipit tempus aliquod, sed illud nominatim exprimit, quo videri poterat Christus non federe ad Dei dextram, videlicet*

quando hostes nondum ipsius pedibus plenariè subjecti, intelligendum relinquens; postea multò magis sessurum, quando omnes hostes pedibus suis subjectos habebit; cujus significationis exempla alibi passim in Scripturis occurrunt. Genes. 28. v. 15. Deut. 34. v. 6. 1. Sam. 15. v. 35. 2. Sam. 6. v. ult. Pf. 23. v. 2. Matth. 1. v. 25. cap. 28. v. 20. Confer Isidor. Pelusiot. lib. 1. Epist. 18. Quod enim per hanc particulam non excludatur ullum aliquod tempus, quo Christus non sit ad dextram Dei sessurus, patet ex eo, quod regnum ejus prædicatur fore æternum Psal. 45. vers. 7. Dan. 7. v. 14. Luc. 1. v. 34. quodque dicitur in dextra Dei sedere in sempiternum Hebr. 10. v. 12. August. in lib. 83. quæst. 69. *Oportet eum regnare, donec ponat, non ita dictum est, q. cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus, sed oportet eum regnare, h. e. ad tantam evidentiam regnum suum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare, quod regnent. Donec ponam, h. e. faciam, ut sint, juxta idiotismum Hebraicum Genes. 4. v. 25. Deus posuit mihi aliud semen, h. e. fecit, ut mihi nasceretur alius filius. Targ. dedit mihi Dominus alium filium Hof. 2. vers. 3. ponam eam velut terram siccitatis, h. e. faciam, ut sit sicut terra sicca. Quod Patri tribuitur illa subjugatio inimicorum, id respectu Filii non accipiendum est exclusivè, quasi ipse Filius non ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, quia Apostolus hanc subjugationem inimicorum disertis verbis ipsi Christo tribuit 1. Cor. 15. v. 25. oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus avrè sui ipsius, sed inclusivè, ut Patris & Filii quos una atq; æqualis in subjugando potentia, majestas & operatio intelligatur. Ambr. in cap. 20. Luc. Quod à Patre subjiciuntur Filio inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem Naturæ, quæ alter in altero operatur, significat, nam & Filius subjicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram. Potest etiam cogitari, quod ideo subjugatio inimicorum Patri tribuatur, quia Filius accipit à Patre divinam illam potentiam, quæ hostes pedibus suis subjicit, juxta divinam quidem Naturam per æternam à Patre generationem, juxta humanam verò Naturam per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram. Itemq; ut eò certius subjugatio illa securitæ credatur. Hostes enim Christi in hac vita sibi & aliis quandoque videntur regnare, ac Christo ad tempus prævalere, sed quam certum est, Patrem cælestem esse omnibus hostibus superiorem ac potentio rem, tam certum quoq; est, Christo aliquando omnes hostes ita subjiciendos esse, ut non amplius contra ipsum & regnum ejus hiscere audeant. Per inimicos Christi intelliguntur omnes, qui Christo & regno Christi, quod est Ecclesia, vel doctrinæ Christi adversantur, qui cultum Dei impediunt, vel contrarium cultum introducunt, quicunque tandem illi sint. Habet autem Christus duplicis generis inimicos, alios externos & corporales, alios internos & spirituales. Corporales hostes sunt omnes impii, sive sint extra Ecclesiam, ut gentiles, Turcæ, Judæi, sive sint in externo Ecclesiæ Christianæ consortio, ut persecutores, hæretici, hypocritæ, notorii peccatores &c. Spirituales sunt Diabolus, mors, peccatum, infernus, &c. hisce hostibus omnibus Christus dominatur quidem in hoc seculo, interim hæc victoria nondum manifestè appareat, nondum videmus ipsi omnia subjecta Hebr. 2. v. 8. persecutores Ecclesiæ adhuc*

adhuc oppugnat per violentiam, hæretici eam turbant per fraudulentiam, Diabolus persecutiones & hæreses excitat, pios variis modis tentat, mors aculeum suum adhuc infigit Christi membris, peccatum adhuc in carne renatorum habitat, infernus fauces suas contra ipsos adhuc aperit, &c. sed in fine mundi & in die iudicii omnes hostes sient *ἑσθίωνος scabellum pedum Christi*, hoc est, perfectissimè, plenissimè ac totaliter ipsi subji-entur 1. Cor. 15. v. 26. *Novissimus hostis destruetur mors. v. 28. Cum subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus, v. 54. Cum corruptibile hoc induerit corruptionem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria, Apoc. 20. v. 10. Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris. v. 14. Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. cap. 21. v. 4. Mors ultra non erit. Phrasis ipsa, quâ plenaria hostium subjectio hic describitur, est valdè emphatica. Ponam inimicos tuos *כַּדְּמֵי עֵשֶׂת* q. d. suppedale, suppedaneum, quia *ἑσθίωνος* est id, quod sedentis pedibus est suppositum ac subjectum, Latinis *scannum* & in diminutivo *scabellum* à scandendo sic dictum, quod per illud in altiore sedem ascendatur. Sensus igitur est, plenariè & perfectissimè tibi omnes hostes subji-entur, instar scabelli pedibus tuis eos subdam, ita ut pedibus eos conculces, & pro arbitrio punias. Deducit igitur nos hæ phrasis ad considerationem 1. Illius Naturæ, juxta quam Christus ad dextram Dei collocatus & omnes hostes ipsi aliquando subji-entur, quæ est assumpta ipsius humana Natura. Confer Ps. 8. v. 7. Johan. 3. v. 35. Ephes. 3. v. 22. Apoc. 1. v. 13. cap. 5. v. 5. &c. 2. Extremæ & ignominiosæ subjectionis. Non dicit, donec tradam eos in manus tuas, quâ phrasi alias subiectio omnium Christo facta describitur Johan. 3. v. 35. cap. 13. v. 3. &c. Sed quod *ἑσθίωνος* donec ponam eos sub pedes tuos, quo declaratur rigidissima & abjectissima subiectio, quæ Psal. 18. v. 38. sic describitur, *persequar inimicos meos. v. 39. transfigam eos & surgere non poterunt, cadent sub pedibus meis. v. 40. incurvabis inimicos meos sub me. 1. Reg. 5. v. 3. ait Salomon de Davide, donec posuit Dominus hostes sub plantis pedum ejus. De Sapore Persico Rege memorant Historiæ, quod Imp. Valeriani à se victi dorso pro scabello usus fuerit, quoties equum conscenderit. De Tamerlano Scytharum Rege literarum monumentis est proditum, quod Bajazetem Imp. Turcicum à se victum, caveæ inclusum circumduxerit & subter mensam posuerit, quoties cibum caperet. De Alexandro III. Pont. Rom. constat, quod Friderici Barabrossæ Imperatoris ad pedes sibi jacentis caput conculcaverit, accommodans ad se verba Psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis catulum leonis & draconem Psal. 91. v. 13. quæ omnia extremæ & abjectissimæ subjectionis fuere indicia. Subji-entur Christo in die iudicii non solum hostes, sed etiam amici, hoc est, verè in ipsum credentes & pii, sed hæc subiectio erit familiaris, blanda & filialis: impii contra & hostes servili, acerbâ, violentâ & ignominiosâ subiectione ipsi se submittere cogentur. 3. Typi, quo hæc subiectio fuit figurata. De Josua in libr. Josu. cap. 10. v. 24. dicitur, quod quinque Reges à se victos, ex spelunca, in quam profugerant, sibi adduci jussit, & vocatis ad se Principibus Israel præceperit, ut ponerent pe-***

des suos super colla eorum, dicens: *Sic faciet Deus omnibus inimicis vestris.* Pari ratione cœlestis Josua Christus Jesus omnes hostes suos pedibus suis tandem subji-entur & capita eorum conculcabit. Sed quemadmodum Josua advocat Principes Israelitarum, & jubet, ut ipsi quoque pedibus suis colla hostium premant: ita Christus hujus victoriæ suæ credentes, utpote spirituales Reges Apocal. 1. vers. 6. participes facit, juxta veracissimam promissionem Rom. 16. vers. 20. *Deus facis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* In quibusdam Codd. apud Matth. hic legitur *ἑσθίωνος* adverbialiter, sed prior lectio est ulitatio & significantior. Voluit autem Christus hanc particulam Psalm. 110. vers. 1. priori vaticinio de sessione Messiae subjungere, ut terrorem inveteret Scribis & Phariseis hostili animo sibi adversantibus. Jam antè enim se victorem eorum ostenderat, dum ad captiosas ipsorum quæstiones prudentissimè responderat, & hac ipsâ quæstione ipsos constrinxerat, ut maturè cogitarent, fore ut funditus tandem pereant ac deleantur, si Christo hostiliter se opponere pergerent.

Quia verò generalis regula est, quando à Christo & Apostolis in Nov. Test. dicta Vet. Test. allegantur, respiciendum esse totum & integrum contextum, ideò integer Psalmus 110. ex quo hanc particulam Christus adducit, breviter hic venit expendendus. Totus hic Psalmus continet illustre vaticinium de Messia, ut apparet non solum ex hac allegatione Christi, sed etiam ex interpretatione Apostolorum Actor. 2. v. 34. 1. Cor. 15. v. 25. Hebr. 5. v. 6. cap. 7. v. 17. qui in eo nobis describitur 1. *Ut verus Deus*, quia non posset esse Davidis & totius Ecclesiæ Israeliticæ Dominus, nec sedere ad Dei dextram, nisi in personâ unitate esset verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, quo etiam Athanasius in orat. contra Arian. Augustin. lib. 1. de Trinitat. cap. 12. lib. 3. contra Maximin. Arian. cap. 18. & alii ex veteribus referunt v. 3. *ex utero ante Luciferum genui te, quem versiculum de æterna Filii Dei ex Patre generatione accipiunt. 2. Ut verus homo*, David enim inter cæteras causas etiam propterea ipsum vocat suum Dominum, quia ex ipsius semine veram humanam Naturam erat assumpturus, quam Messiae humanitatem etiam probat ipsi passio & mors, de qua dicitur v. 7. *de torrente in via bibet. 3. Ut Rex & Dominus* non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam, quia secundum humanam Naturam ad dextram Dei est evectus, & juxta eandem omnes hostes ipsi tandem subji-entur. Neve quis putet, ipsum proprio ausu regnum sibi rapuisse, ideò Deus Pater dicitur ipsum evehere ad dextram suam, omnes hostes pedibus ejus subjicere, & *virgam virtutis* sive sceptrum regni ipsi tradere. Ne quis suspicetur, Christum tunc demum regnaturum, quando in die iudicii subji-entur hostes ipsius pedibus, ideò additur, *virgam virtutis tue emittet Dominus ex Sion* etiam antè ultimum diem iudicii, per quam virtutis virgam sive sceptrum *dominaberis*. Ne quis statuatur, regnum Christi fore terrenum & mundanum, ideò additur, quod *ex Sion emittendum sit sceptrum*, scil. verbi Evangelici, ut exponitur Es. 2. v. 3. Mich. 4. 2. quod *populum spontaneum* sit habiturus, qui in *die victoriæ* ereptus, sc. ex regno & potestate Satanæ *obsequium spontaneum* ipsi sit exhibiturus in sancto ornatu, hoc est,

hoc est, juxta novum & interiorem hominem variis Spir. S. charismati ornatum, ac quod subditi hujus regni per rorem verbi celestis, h. e. per prædicationem Evangelii per totum terrarum orbem mirâ celeritate propagatam mirabiliter sint nascituri. Mich. 5. v. 7. Ne quis statuatur, regnum Messie angustis Judææ limitibus inclusum iri, ideo additur, ipsum dominaturum in medio inimicorum, h. e. in medios hostes sese diffusurum, ita ut in medio quoque illorum Principatum obtineat. 4. *Ut Sacerdos æternus. Juravit Dominus & non panitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Dominus juravit, ergo Messias non ab hominibus sed à Deo constitutus est Sacerdos. Juravit Dominus, ergo hoc ipsius decretum est immutabile, ideo additur, *non panitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum*, ergo non ad exiguum vel certum tempus, quales Sacerdotes fuere V. T. sed in omnem æternitatem. Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, ergo non secundum ordinem Leviticum & Aaronicum, sed peculiari & novo modo juxta ordinem Melchisedeci, qui fuit ἀπαύτως, ἀμύτητος, ἀνεγενεαλόγητος, simul Rex & Sacerdos, qui benedixit Abrahæ ac proinde major ipso fuit Hebr. 7. 1. & seqq. Quamvis verò regnum & Sacerdotium Messie in hac vita non careat hostibus, tamen adversus omnes illorum conatus & insultus utrumque erit stabile, immotum ac firmum. Dominus enim est à dextris Messie, divinâ suâ virtute ipsi præstò est; quinimò omnes regni & Sacerdotii ejus hostes, etiam si sint potentissimi in hoc mundo Monarchæ, temporali & æterno judicio tandem punientur, confregit enim Messias sive confringet in die iræ sue Reges, judicium exercebit inter gentes, implebit loca cadaveribus, contundet capita terre multa. 5. *Ut Redemptor & Salvator humani generis. De torrente in via bibet*, hoc est, propter peccata generis humani, quæ torrentis instar in ipsum irruent, passionem & mortem sustinebit, bibet de torrente iræ divinæ & sævitie humanæ, sed non manebit in morte, verum in resurrectione caput iterum exollet, prodibit ex sepulchro redivivus, ascendet in cœlum, confidebit ad dextram Dei, mittere Spiritum sanctum in corda credentium, faciet ipsos participes beneficiorum passionis & morte suâ partorum, eosdemque ad regni ælestis consortium tandem transferret. Horum omnium meditationem Christus Scribis & Phariseis proponere voluit, quando eos ad Ps. 110. remisit, Messiam non fore tantum Davidis filium & merum hominem, sed etiam Davidis Dominum & verum Deum, ideo repetit hunc principalem quæstionis suæ scopum. Ipse ergo David (inquit) Dominum illum vocat, ut evidenter constat ex verbis: Dixit Dominus Domino meo. *Si ergo David vocat eum Dominum, πῶς καὶ ὁ θεὸς, quomodo & unde, ex qua parte, quo respectu, quâ ratione est ipse filius?* Scopus argumenti est, responsum Phariseorum, quod Christus sit Davidis filius, non falsitatis, sed insufficientie arguere, ac Phariseos crassæ ignorantie convincere, quod nihil altius, nihil sublimius Messie tribuant, quam quod futurus sit Davidis filius. Augustinus serm. 234. de temp. *Non dixit, non est filius ejus, sed quomodo est filius ejus? quomodo cum dicit, verbum quærentis est, non negantis, tanquam si hoc eis diceret: Bene quidem dicitis, Christum filium Davidis, sed ipse Da-*

vid Dominum eum dicit. Quem dicit ille Dominum, quomodo est filius?

Atque hoc fuit Christi argumentum imperfectæ Phariseorum responsioni oppositum, ex quo sequentes peti possunt observationes. 1. Christus per quæstiones cum hostibus celestis veritatis disputans, ostendit non esse absolute necessarium, ut in Theologicis Disputationibus, præsertim coram populo institutis omnia argumenta actu in formam Syllogisticam redigantur. Matth. 12. v. 3. 11. 24. cap. 15. v. 3. cap. 16. v. 2. cap. 19. v. 4. cap. 21. v. 24. cap. 22. v. 29. & c. 2. Quæcunque de persona, officio & beneficiis Christi scitu sunt necessaria, ex Scripturis sacris unice peti debent, unde ad Scripturam Christus hoc loco provocat. Cujus filius sit Christus, non potest disci ex naturalis acuminis acuminis Prov. 30. v. 4. nec caro & sanguis illud revelat, sed Pater celestis in verbo Matt. 16. v. 17. Porisma hujus assertionis est, quod ea, quæ in Scriptura de Christo asseruntur, non sint oppugnanda ex principiis Physicis. 3. Non solum in Evangelicis & Apostolicis, sed etiam Prophetis V. Testam. scriptis Christus quærendus est. Non sapit vetus Scriptura, nisi Christus in ea inveniatur. Quinimo ut homo est epitome totius universi, ac Nature creatæ centrum: sic Christus est totius Scripturæ epitome & centrum, à quo omnia in Scripturis incipiunt & in quo omnia desinunt. Ps. 40. v. 8. Joh. 1. v. 1. Hebr. 10. v. 7. Apoc. 22. v. 22. 4. Christus nulli non in ore habet Scripturas, ex illis docet, ex illis pugnat, ex illis solatur. Ostendit igitur sanctum opus esse meditari Scripturas, ac suo exemplo nobis commendat præceptum suum Joh. 5, 39. *Scrutamini Scripturas.* 5. Non humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines. 2. Petr. 1. v. 21. unde notanter de Davide hic dicitur, quod Messiam in Spiritu vocaverit Dominum suum, hoc est, interprete Hieronymo in cap. 22. Matth. non erroris incerto, nec propria voluntate, sed Spiritu sancto. Philo in libro, quis sit rerum divinarum heres. *Propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia sub monente alio.* Justinus in paranesi ad Græcos p. 6. *Divinum è celo plectrum descendens, quod instrumento quopiam cytharæ alicujus vel lyre, viris justis utens, divinarum & celestium rerum cognitionem nobis revelavit, quod desumptum videtur ex Ps. 45. v. 2.* 6. Christus Canonicam Psalmorum Davidicorum autoritatem confirmat, quando Davidem in Spiritu locutum fuisse asserit. Confer Luc. 24. v. 44. Act. 2. v. 30. Opponendum hoc est, Nicolaitis, Gnosticis & Manichæis, qui dixerunt, *Davidem non fuisse Christi Prophetam, & divinarum Scripturarum interpretem, sed humane ac secularis cantionis compositorum, referente Philastro in catalog. hæref. cap. 127.* Paulo Samosateno, qui Psalmos Davidicos tanquam recens excogitatos de Ecclesia sustulit, ac suos eisdem substituit, ut habetur in Epistola Concilii Antiocheni apud Anastasium libr. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 25. Theodoro Mopsuestita, qui in Psalmis nihil de Christo scriptum esse affirmavit, ut ex Actis Quintæ Synodi refert Thom. de Aquin. in præfat. Psalm. & Anabaptistis, qui dicunt: *Psalmos negat, & Davide negat, ab aliquo sancto viro divinitus conditos, sed à recentioribus quibusdam Judæorum Magistris post Christi adventum compositos & diris multis & im-*

precationibus in Christum & Christianorum gentem repletos, referente Sixt. Senens. lib. 8. Biblioth. hæres. 5. p. 637. 7. Illustre Testimonium Trinitatis hic proponitur. Introducitur enim *Jehovah* loquens, qui est Pater prima persona, ad Dominum Davidis sive Messiam, qui est Filius secunda persona, ac David in Spiritu sive per Spiritum sanctum hoc protulit, qui Spiritus sanctus est tertia persona Deitatis. Confer Genes. 19. v. 24. Esa. 48. v. 16. Jer. 23. v. 5. & 6. Zachar. 2. v. 8. c. 3. v. 2. & c. 8. Quanti ponderis ac momenti sit opus incarnationis & Redemtionis, ex eo colligi potest, quod Pater quasi consilium de eo cum Filio suo inire introducitur: *Dixit Dominus Domino meo.* Ut ergo in prima primi hominis creatione Pater cum Filio quasi consultat: sic de *avaxricis* & reparatione hominis per Messiam præstanda hic denuo q. consultat. Confer Rupertum lib. 2. de Trinitat. & ejus operibus in princ. 9. Christus in personæ unitate est verus Deus & verus homo, quia est Davidis & Dei filius, nec tamen duo sunt filii, sed unus Filius. Idem qui Davidis filius, est etiam Davidis Dominus; idem qui ante secula à Patre ex ipsius substantia genitus, in tempore ex Davidis femine natus, non tamen secundum idem, sed genitus est ex Patre secundum divinam suam Naturam; natus est ex femine Davidis secundum humanam Naturam. Rom. 1. v. 3. c. 9. v. 5. & c. Hieronym. in c. 22. Mat. *Interrogatio. Jesu nobis proficit usque hodie contra Judeos. Interrogemus ergo eos docti à Domino: Si simplex homo est & filius tantum Davidis, quomodo David vocet eum Dominum suum?* 10. Christus ut Davidis, ita quoque totius Ecclesiæ; imò omnium hominum Dominus est, non tantum juxta divinam suam Naturam, juxta quam ab æterno est natus Dominus, sed etiam juxta humanam suam Naturam, juxta quam per collocationem ad Dei dextram in tempore factus est omnium Dominus, Actor. 2. v. 36. quando potestas omnis carnis Johan. 17. v. 2. ac omnis potestas in celo & in terra ipsi ut homini data Mat. 28. v. 18. Ideo etiam atque inde est noster Dominus, quia ex potestate & captivitate Satanae nos liberavit, & in regnum suum nos transtulit, ut essemus ipsius proprii, unde in hoc Psalmo 110. & regni & Sacerdotii ipsius fit mentio. 11. Dextra Dei, ad quam Christus secundum humanam Naturam evectus, est ipsa infinita Dei majestas, gloria, potentia & virtus, omnia efficacissime sustentans & gubernans, omnia in celo & terra implens, ac sessio Christi ad dextram Dei significat universale, præsentissimum ac potentissimum ipsius dominium in celo ac in terra, sicut superius ex Scripturis demonstravimus. Ergo dextra Dei non significat superiorem aliquem statum (aliàs sequeretur Filium præferri Patri, ut ille sit à sinistris, cum tamen statim v. 5. Pater dicatur à dextris Filij, cumque Filio omnia sint subjecta sine dubio præter eum qui subjecit ipsi omnia 1. Corinth. 15. v. 28.) nec inferiorem aliquem potestatis & honoris gradum (sicut Bellarminus lib. 3. de Christo capit. decim. quint. disputat: *Apud antiquos sedere à dextris minus honorificum fuisse, quam sedere à sinistris*, ac Calvinus in cap. vigesi. secund. Matth. disputat, *sessionem hanc recipi pro secundo vel proximo gradu, quem Christus ut Dei vicarius occupet, ejus vestigiis insistenti Toflanus in notis ad Psalm. 110. Crocius part. 2. convers. Prut. Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.*

pagin. 511. ubi dicunt, *Esse hunc sermonem parabolicum sumtum à more Regum, qui eos ad dextram suam collocare solent, quibus proximum à se locum & honorem tribuunt* 1. Reg. 2. v. 19.) nec honorarium duntaxat titulum (cum definitio hujus sessionis ad Dei dextram in Scripturis tradita non honorariam aliquam sedem, sed potestatis & majestatis æqualitatem, ejusdem throni consortium, indivisum regimen, æquale dominium phrasi intelligendum esse luculentè testetur) nec circumscriptum aliquem in celo locum sicut placet Beza in respons. ad tertiam part. libr. Brentiani pag. 601. Bulling. in comment. 2. Corinth. pag. 206. Ursino part. alter. Catech. p. 127. aliàs sequeretur, Christum non amplius sedere ad dextram DEI, quando veniet in nubibus cæli ad judicium; quibus meritò opponitur illud Calvinus in Comment. ad Ephes. 1. p. 369. *Dextra Dei non significat locum aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut ejus nomine cæli & terre imperium administraret. Sc. Dicitur Deus Pater Christum extulisse ad dextram suam, quia consortem imperii sui fecerit, quia per ipsum omnem suam potestatem exerceat, unde perperam faciunt, qui ex sessione ad Dei dextram conantur probare, Christum non nisi in celo esse. Quod enim mox sequitur, in celestibus, non eo tendit, ut Dei dextram celo includat, sed ut sciamus, Christum eò altitudinis evectum, ut in celesti gloria Dei, in beata immortalitate inter Angelos summum fastigium obtineat.* non nudam duntaxat ἐξουσίαν (quia vocatur dextra δυνάμεις Matth. 26. vers. 64. Luc. 22. v. 69.) non finitam aliquam potestatem & gloriam divinam inferiorem (quia Christus ex sessione ad Dei dextram hoc loco evincit, quod Messias sit Filius Dei & verus Deus, unius cum Patre essentia) non beatitudinem duntaxat cœlestem (quia Christus non dicitur simpliciter esse in Dei dextra, sed ad eam sedere, quod regiam potestatem ac majestatem denotat interprete ipsamet Scripturâ 1. Cor. 15. v. 25. non potestatem duntaxat judiciariam divinam inferiorem (quia ad judicium universale requiritur infinita virtus & sapientia) non actionem tantum specialem gubernationis Ecclesiæ (quia dextra Dei definitur per universale cœli terræque regimen Mat. 28. v. 18.) nec Dominium Christi secundum humanam Naturam absentis (quia dextra Dei notat regimen præsentis, & omnia in celo & terra implentis Jerem. 2. vers. 24. Ephes. 5. vers. 10.) 11. Secundariò & minus principaliter dominium Christo homini collatum per sessionem ad Dei dextram ideò describitur, quia pacatè & quierè, solidè & immutabiliter dignitatem illam obtinet, sedere enim est pacati & quiescentis; & quia regnum ejus est spirituale non corporale, per sinistram enim in Scripturis temporalia designari solent. 12. Exaltatio ad Dei dextram Christo secundum humanam Naturam obtigit, unde notanter dicitur, quod *filius hominis* sedeat ad DEI dextram Matth. 26. vers. 64. Luc. 22. vers. 69. quod *Filio hominis* omnia sint subjecta Psalm. 8. vers. 8. Hebr. 2. vers. 6. quod *Christus* ex mortuis resuscitatus sit ad dextram DEI collocatus, juxta eam scilicet Naturam, juxta quam est filius hominis & ex mortuis resuscitatus, videlicet juxta Naturam humanam, ut alibi plenius demonstratur. Sicut arca Noæ, ex qua genus humanum post diluivium

diluvium disseminatum, requievit & q. confedit super altissimos Armeniæ sive Ararat montes Genes. 8. v. 4. sic Christus unica salutis nostræ arca, in qua contra iræ divinæ diluvium servari possumus, ex qua Christianorum genus per universum orbem fuit disseminatum, post passionis diluvium ac torrentes ad altissimam Patris cœlestis dextram confedit. 13. Sicut Pater subjicit Christo hostes Ps. 110. v. 1. ita Christus sibi ipsi eos subjicit 1. Cor. 15. v. 25. Sicut Pater revelat cognitionem Filii Mat. 16. v. 17. & ad Filium ducit Joh. 6. v. 44. sic Filius revelat Patrem Matt. 11. v. 26. & ducit ad Patrem Joh. 14. v. 6. quæ & similia operum ταύτητα inque agendi modo ομοιωτητε Joh. 5. v. 19. ac consequenter Patris & Filii ομοιοτητα, ισοτιμιαν καὶ ισοθρονιαν probant. 14. Christi regnum in hac vita non destituit inimicis illi adversantibus, illudque oppugnantibus, aliàs nullâ opus foret subjectione. 15. Illi tamen nō poterunt prevalere Christo & regnum ipsius evertere, quia omnes Christo sunt subjiciendi sive sponte per conversionem ad fidem, sive coacte per divinam punitionem vel in hoc vel in futuro seculo. Qui sponte se Christo & sceptro ejus non subdunt, vel inviti tandem subdi coguntur. Quoties ergo violenter Christi regnum impugnari videntur, in mentem nobis veniat Davidicum hoc oraculum, vel ut B. Lutherus loquitur hoc שב לימיני שדע אד dextris meis, eo enim confirmamur invictum & inexpugnabile fore Christi regnum, ut ut hostes contra illud insaniant, cum divinitus sit erectum, divina virtute fulciatur & aternâ stabilitate conferretur. 16. Subjectio hostium plenaria & omnium oculis manifesta sequetur demum in die judicii. In hac vita particularia divinæ Nemeseos exēpla adversus persecutores Ecclesiæ eduntur, unde linguli hostium successivè moriuntur, Ecclesiâ manente superstita Mat. 23. 20. sed in die judicii deletis omnibus hostibus perfectè hoc oraculum implebitur 1. Cor. 15. v. 24. 17. Denique si omnes hostes pedibus Christi tandem scabelli instar subjiciuntur, utiq; certa & immota est nostra salus in ipsius manibus reposita, quia inter illos hostes continetur Satan, peccatum, infernus, mundus, mors, &c.

Posterius hujus pericopes membrum exponit colloquij eventum & effectum, tum respectu Pharisæorum, quibus argumentum Christi erat propositum, tum respectu urbe præsentis. De Pharisæis dicitur 1. Quod nemo eorum potuerit Christo respondere quicquam. Ergo ut antea Sadducæos, ita hoc loco Pharisæos alioqui satis loquaces ad silentium Christus adegit. καὶ ponitur hic adversativè. Christus quidem satis perspicuè & dilucidè suum argumentum proposuerat, sed nemo erat, qui respondere posset. Nemo scilicet eorum, qui illic erant congregati, in tanto Pharisæorum & Scribarum numero, qui singularem divinæ legis scientiam sibi arrogabant, nullus erat, qui posset ἀποκριθῆναι λόγον respondere quicquam, quo objectæ difficultati satisfacere conaretur. Ne verbulum quidem respondere poterant, tantum abest, ut plenam & solidam argumenti à Christo allati explicationem ausi fuerint agredi. Conticuerant autem, quia non fuit ipsis notum mysterium de persona Messia, quod non solum verus homo & filius Davidis, sed etiam verus Deus

& Dominus Davidis sit futurus. Si divinitas Messia ipsis nota fuisset, facili negotio ad argumentum responderent, videlicet Messiam in personæ unitate fore Deum & hominem. Leo sermon. octav. in nativitat. Domin. c. 2. Non potuerunt Judæi propositam, solvere questionem, quia non intelligebant in uno Christo & progeniem Davidicam & Naturam prophetatam esse divinam. Ex ignorantia igitur Scripturarum ut error Sadducæorum, ita quoque silentium Pharisæorum originem traxit, ex qua fiebat, ut quemadmodum hactenus in quærendo & objiciendo fuerant satis frigidi, ita in respondendo & solvendo hic essent prorsus muti, ut nemo in tanto cœtu inveniretur, qui vel ῥῶν respondere posset. Colligitur autem ex hoc Pharisæorum silentio, quod apud ipsos in confesso fuerit, Psalmum hunc de Messia & non de alio quodam agere. Si enim ulla hac de re fuisset dubitatio, facile invenissent, quod Domino responderent. Id ipsum probat 1. Explicatio Apostolorum in Nov. Testam. qui hunc Psalmum unice de Christo interpretantur. Act. 2. 34. 1. Cor. 15. v. 25. Hebr. 1. v. 13. c. 5. v. 6. c. 7. v. 17. c. 10. v. 13. &c. 2. Totius Psalmi contextus & dispositio. Quæ enim de persona, regno, Sacerdotio, passione & exaltatione Messia in hoc Psalmo prædicuntur, nulli alteri, quàm Christo conveniunt. Cui Angelorum, quanto minus hominum, dictum est, sede à dextris, inquit Autor Epistolæ ad Hebræos c. 1. v. 13. 3. Chaldaica paraphrasis. R. Jonathan vericulum primum hujus Psalmi sic vertit: Dixit Dominus Verbo suo, sede ad dextram meam. Jam verò in paraphrasi Chaldaica usitatissimè est voce Maimera designari Messiam. 4. Suffragium Rabinorum antiquorum in Midras Thillim h. l. sic legitur: Dixit R. Joda in nomine Rabbi Hanne. Futurum est, quod Deus Messiam sedere faciat ad dextram suam, sicut scriptum est, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. R. Moses Hadarlan in cap. 18. Genes. citat hunc Psalmum ut de Messia intellectum. Confer Galatinum lib. 3. de arc. c. 5. lib. 8. c. 24. Opponenda hæc sunt 1. Judæis recentioribus, qui duobus potissimum modis genuinum hujus Psalmi sensum & scopum pervertunt, primò quidem ratione cause instrumentalis. Dicunt enim, eum non à Davide, sed vel à Melchisedeco (ut recitat in ejus commentario Rab. Abraham) vel ab Eliezer servo Abraham, vel ab aliquo eorum, qui tempore Davidis Psalmos scribebant, fuisse compositum (ut putat Rab. Aben Ezra) sed illis meritò opponitur Psalmi ἄρρητον & silentium Pharisæorum, qui tacendo contentur, Davidem esse hujus Psalmi autorem, quod Christus in argumento suo præsupponebat. Secundò ratione objecti. Dicunt enim non de Christo, sed de Abrahamo (quod R. Salomon & perique recentiorum Judæorum statuunt) vel de Isaac, Davide (ut R. Aben Ezra & R. David existimant) vel de Ezechia Judæorum Rege, vel de Zorobabele vaticinium hujus Psalmi intelligendum. Chalda. paraphrast. Dixit Dominus in verbo suo, quod daret mihi dominationem, eò quod sederim ad descendam legem dextrâ meâ; quæ non est versio, sed perversio. Justinus in Dial. cum Tryphone pag. 241. Illud, dicit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, in Ezechiam dictum esse, Magistri vestri & Rabini exponere sunt ausi, proinde quod is iustus fuisset in dextra templi parte sedere, quando per nuncios suos minis ipsum Rex Assyrius terruit

terruit & per Esaiam, ut illum non timeret, ei est significatum. Tertull. lib. 5. contra Marcion. idem ex Justino repetit. Hieronym in cap. 22. Matth. *Judei intelligunt hunc Psalmum dictum de Abrahamo in persona Eliezer servi ejus, quod post eadem quinque Regum Dominus Deus Domino suo Abrahamo dixerit, sede ad dextram meam.* Alii intelligunt dictum de Davide in persona Israelitici populi, qui Davidem appellavit Dominum suum. Alii putant Davidem hic vocare Saulem Dominum suum, ut sit sensus: *Dixit Dominus ad me propter Dominum meum Saulem, qui me persequitur.* Qui de Abrahamo hunc Psalmum exponunt, nituntur eo, quod in hoc Psalmo mentio fiat Melchisedeci, cui Abraham dedit decimas spoliiorum bellicorum. Qui de Davide, urgent illud, quod in hoc Psalmo mentio fiat *Sionis*, ex qua David juravit dedit subjectis populis. Sed omnes illos refellit totius Psalmi contextus, cum nullus eorum, de quo Judei hunc Psalmum intelligunt, federit ad Dei dextram & aeternum habuerit Sacerdotium, ac tacita Pharisæorum confessio, ex qua liquidò apparet, Judæos, cum adhuc essent Dei populus, sine ullo scrupulo hunc Psalmum unice de Messia intellexisse. Ipsa quoque varietas interpretationis vel potius detorsionis merito illam reddit suspectam. 2. *Calvino*, qui non negat, hunc Psalmum de Christo intelligi debere, interim tamen affirmat, *primum ejus versiculum, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Davidis persona congruere;* cui merito opponitur, quod præposita foret oratio, si David, cui hic Psalmus in titulo tribuitur de seipso diceret, *Dominum ad suum Dominum*, hoc est, ad se Davidem verba fecisse, quodque Christus tanquam certum principium in suo argumento præsupponat, Psalmum hunc non de Davide, sed de Messia agere, quod Petrus Act. 2. v. 34. evidenti argumento confirmat. *Non enim David ascendit in caelum, dicit autem ipse, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* 3. *Enjedino Photiniano*, qui Calvinum secutus Psalmum hunc *literaliter de Davide, mysticè verò de Messia* intelligendum esse disputat, in detors. Iocor. p. 81. Sed quia hæc effugia repudiabantur ab ipsis Pharisæis, propter manifestam absurditatem & pugnantiam cum circumstantiis textus, ideo non poterant invenire, quod Christi argumento responderent. Calvinus in Harm. videtur ipsos instruere, quomodo vim argumenti a Christo sibi objecti declinare potuissent. Format enim sibi ipsi objectionem: *an non potuerit Deus extollere aliquem ex genere humano redemptorem, qui Davidi esset Dominus, licet filius, cum in Hebræo non usurpetur nomen Dei essentialè, sed Adon, ac frigidè respondet: Christum pro confesso sumere, eum, qui numero hominum eximitur, & in eum honoris gradum collocatur, ut sit summum Ecclesie caput, non esse merum hominem, sed Dei quoque majestate præditum.* Atqui Christus hoc non sumit pro confesso, sed ex eo, quod Messias appelleretur Dominus Davidis & ad dextram Dei subjectis sibi omnibus inimicis collocetur, firmissimè id ipsum probat. Quidam putant, Pharisæos excipere potuisse, *Psalmum hunc à Davide populo dictatum fuisse, non autem sibi ipsi, ac proinde populum duntaxat, non autem Davidem Christum vocasse suum Dominum.* At promta fuisset responsio, Davidem nequaquam seipsum vel à populo Dei

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

vel à dominio Christi excipere voluisse, quippe quem noverat toti Ecclesie redemptorem promissum, à cuius dominio nemo se excipere poterit, nisi redemptionis beneficio & salute sese sponte abdicare velit. Quinimò David etiam ideo Messiam non solum Ecclesie in genere, sed etiam suum in specie Dominum vocavit, quia fructum redemptionis per ipsum præstandæ in sese percepit, justificatus à peccato, Deo reconciliatus, Spiritu sancto donatus & vir secundum cor Dei factus, quæ omnia cum Pharisæi nullâ veritatis specie potuerint negare, ideo maluerunt tacere, quàm frigidè respondere.

2. De illis dicitur, *quod non fuerit ausus quisquam ex eo die Christum amplius interrogare.* Sic ergo Christus non solum os eis obturavit, sed etiam audaciam eorum timore incusso coercuit. Tantum abest, ut ulterius illi suis quæstionibus molesti esse pergere ausi fuerint, ut ne verbum quidem, quod reponerent, invenire potuerint. Chysoctom. homil. 72. in Matth. *Hic fuit finis disputationum atq; interrogationum omnium, præclarus quidem atque sublimis adeò, ut eorum ora facile consuerit. Conticuerunt enim ex illo tempore, non sponte, sed quia ita letali fuerant perfolli vulnere, ut non ausi fuerint eum amplius aggredi.* Apparet autem ex hac Pharisæorum repressione. 1. Divina Christi virtus & potentia, de qua Autor imperfect. oper. in Matth. homil. 42. dicit. *Qui mari terminum posuit, ipse audacia Diaboli adversus se agens, quando voluit, tunc finem imposuit.* 2. Hypocritica Pharisæorum malitia, quod non discendi, sed tentandi animo hætenus interrogaverint. Si enim discendi animo interrogassent, non debuissent ob animadversam in Christo sapientiam ab interrogando cessare, sed ob id ad interrogandum magis provocari, quod viderent ipsum omni ex parte omnibus adversariis quæstionibus satisfecisse, seque ubique fortem, constantem & sapientem probasse. 3. Intolerabilis eorum superbia. Noluerunt amplius quærere, ac solutionem argumenti à Christo petere, ne aliquam autoritatis suæ jacturam paterentur. Debuissent omninò interrogare, sed ex superbia & arrogantia maluerunt ignorare quàm interrogando discere. Augustin. sermon. 234. de temp. *Nescientes obmutuerunt, nec ore saltem clauso aures aperuerunt, ut quod respondere non potuerunt interrogati, nossent edocti.* & in Psal. 109. *maluerunt instar taciturnitate disrumpi, quàm humili confessione doceri.* 4. Extrema & sanabilis eorum pervicacia. Marloratus putat, ideo ipsos ab interrogando abstinuisse, quod animadverterint divinam vim in responsis Christi, quibus resistere non poterant, ne Deo quærentes ipsi Deo resistere viderentur. Sed consequens Historia passionis ostendit, hoc ipsorum silentium non ita accipiendum esse, quasi destiterint ab obstinata sua pervicacia, verum quia cum dolore ac fremitu videbant, Christum ad quosvis insultus sustinendos esse paratum, contra verò insidias per quæstiones captiosas ipsi intentas in suum caput recidere, videbant insuper se quæstionibus, quæ ab ipso proponebantur, pares non esse, inde in furorem acti odia sua exterius premebant, intus verò fremebant, ut solent bestia cavèis incluse, velut feroces equi frenum injectum mordent. Ideo enim Evangelista hunc

Yy 2

collo-

colloquii ex parte Phariseorum eventum addidit, ut non solum invictam veritatis vim, sed etiam extremam impiorum perveraciam demonstraret, quod reprimi quidem ea ac superari, non autem penitus extingui possit. Interrogare non amplius audebant, odisse tamen non desistebant, ideo confusi & patefacti animum à disputationibus ad alia consilia Tyrannidis & crudelitatis plena conferebant & argumentis ex carnificum officina petitis Christum imposterum aggredi statuebant. Hieronym in c. 2. 2. Matth. *Quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed apertissime comprehensum Romanæ tradunt potestati.* Προσδοχοῦ μὲν adjectus, quod ex illa die nemo eorum fuit Christum interrogare ausus, ostendit, etiam post illam diem, (quæ fuit feria tertia post palmarum, & tertia ante diem passionis, sive dies Martis, ut hodie loquimur) videlicet subsequenter diebus Mercurii & Jovis Christum publicè in templo docuisse, quorsum enim diceretur, neminem ipsorum ausum fuisse ex illa die Christum interrogare, si Christus ex illa die non amplius ad publicum docendi officium rediisset, sed Bethaniæ vel alibi delituisset, ita ut nec potuissent Scribæ & Pharisei ipsum interrogare, si vel maximè voluissent? Quod nemo ipsum interrogaverit amplius, cum duplici restrictione accipiendum, videlicet quod nemo Phariseorum, Scribarum & hostium captiosis quæstionibus ipsum aggredi ausus fuerit, paulò post enim discipuli de tempore destruendi templi & finis seculi ipsum interrogant, quodque *inter docendum* nemo eum interrogaverit, postea enim in vincula conjectum in domo Caiaphæ de quibusdam iterum interrogant. At inquis, si vel maximè Pharisei non potuerint ad argumentum Christi quicquam respondere, nec voluerint responsum à Christo petere, tamen propter presentem turbam videtur opera precium fuisse, ut Christus ipse objecti argumenti nodum solveret. Resp. Christus prudenti consilio noluit fontes responsum monstrare. 1. quia Pharisei indigni erant, qui mysterium hoc audirent, cum à Christo doceri noluerint. Matth. 7. vers. 6. 2. Quia ex Prophetis oraculis, adeoque ex illis ipsis dictis, in quibus Messias vocatur Davidis filius, satis perspicue elucet, Messiam etiam fore Davidis Dominum ac verum Deum. Sic de hoc Davidis filio 2. Samuel. 7. vers. 14. dicit DEUS: *Ego ero illi in Patrem & ipse erit mihi in filium*, id est, Messias Davidi promissus erit in personæ unitate non solum Davidis filius, sed etiam æternus DEI filius, ac regnum ejus erit æternum regnum. vers. 16. Id probè intellexit ipse David, ideo vers. 19. subjungit: *Hæc est lex hominis Dei Domini*, ubi voce legis phrasi Hebræâ intelligitur ratio ac modus rei, ut sit sensus. De tali regno ad me locutus est Deus, in quo nemo potest esse Rex, nisi sit in personæ unitate verus DEUS & verus homo. 1. Paralip. 17. vers. 11. repetitur eadem promissio, cui David subjungit vers. 17. *Apexissime in forma hominis, qui est Deus in excelsis*, id est, promissus ille Rex & Messias è filiis meis suscitandus erit etiam verus Deus ac Dominus è supernis. Pòterant insuper ac debebant id ipsum colligere ex omnibus locis, quæ de officio Messia agunt, quia *conterere caput serpentis Ge-*

nes. 3. v. 15. *benedictionem adducere in omnes gentes.* Genes. 12. v. 3. cap. 18. v. 18. cap. 22. vers. 18. cap. 26. vers. 4. *peccata multorum ferre.* Esa. 53. v. 12. *consummare pro varicationem, obfirmare peccatum, expiare iniquitatem, adducere sempiternam justitiam* Dan. 9. vers. 24. ac similia opera, quæ Messia tribuuntur, requirunt divinam & infinitam virtutem, ideoque veram Messia divinitatem præsupponunt. Quinimò ex ipso Psal. 110. quem Christus adduxerat, responsum petere debuissent, quia in chaldaica paraphrasi habetur: *Dixit Dominus Verbo suo*, id est, filio suo, per quem ab initio omnia condidit Genes. 1. vers. 2. Psalm. 33. vers. 6. qui est verus cum ipso Deus. 3. Quia nondum aderat tempus palam & publicè prædicandi Christi divinitatem. Matth. 17. vers. 9. Marc. 9. vers. 9. Sapientissimo igitur consilio, postquam Phariseis audiente turbâ ejusmodi quæstionem & locum Scripturæ proposuisset, in quo ipsa responsio continebatur, finit eos ratiocinari, atque apud animum adductum Scripturæ locum ac totum Psalmum centesimum decimum expendere, eundemque conferre cum iis, quæ alibi protulerat & cum ipso eventu. Item cum miraculis & rebus à se hæctenus gestis, cum modo loquendi, quo Deum vocabat Patrem suum, cum omnibus divinitatis suæ argumentis, &c. quod ipsum si facere non neglexissent, facile potuissent intelligere, ipsum & verum Messiam & verum DEI filium esse. 4. Quia noluit occasionem blasphemiae & majoris odii ipsis dare, cum nondum adesset constituta passionis hora. Autor operis imperfect. homil. 42. *Nec dicere poterat manifestè veritatem de se, nec tacere. Dicere non poterat, ne majorem occasionem blasphemiae invenientes Judæi insanirent amplius. Tacere autem non poterat veritatem, quia ad hoc venerat, ut veritatem annuntiaret.* Quo animo & quantâ cum detestatione audierint, Christum se vocare Dei filium, constat ex Matth. 26. v. 65. Marc. 14. vers. 63. Luc. 23. vers. 70. Johan. 5. vers. 18. cap. 8. vers. 59. cap. 10. vers. 33. cap. 19. v. 7. &c. Augustinus sermon. 235. de temp. addit, quod Christus per Apostolos suo loco & tempore sufficientissimè ad quæstionem illam responderit. **CHRISTUS** (inquit) *qui hanc quæstionem Judæis proposuit, ipse non solvit Judæis, nobis autem solvit, &c. Ubi per Apostolum suum. Prius inde probamus; quia ipse Christus exposuit. Apostolus dicit 2. Corinth. 13. vers. 3. An vultis experimentum accipere ejus, qui in me loquitur Christus? Ergo per Apostolum istum dignatus est quæstionem solvere. Primum per Apostolum loquens Christus quid dixit 2. Timoth. 2. vers. 8. Memor esto Christum Jesum resurrexisse à mortuis ex semine David secundum Evangelium meum. Ecce Christus est Filius David. Quomodo est & Dominus David? dic Apostole. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, Philip. 2. vers. 6. Agnosce Dominum David. Si agnoscis Dominum David Dominum nostrum, Dominum cæli & terræ, Dominum Angelorum, æqualem Deo in forma Dei: si agnoscis unde filius David, attende quod sequitur, Apostolus Dominum David tibi ostendit dicendo, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Filius David unde? semetipsum*

exinanivit formam servi accipiens in similitudine hominum factus, &c. quò referri possunt omnia dicta Apostolica, quæ vel de divina vel de humana Christi Natura agunt.

Respectu auditorum reliquorum exitus hujus colloquii is fuit, quod pleræq; turba audierit illum libenter. Πολυς Syrus reddidit universaliter, omnis turba, sed rectius vertitur indefinite pleræq; turba, quo modo etiam accipiendum illud Luc. 21. v. 38. omnis populus mane ad eum ibat in templo audire eum. Per turbam intelliguntur homines simplices, personæ privatae, qui non erant tantopere carnis affectibus mancipati, ut Sacerdotes, Seniores, Scribæ & Pharisei, de quibus Proceres illi per contemptum dicunt Joh. 7. v. 48. Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum aut ex Pharisæis? v. 49. sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. Illi non erant Christo captivos quæstionibus molesti, nec invidebant ipsius gloriae, sed audiebant eum docentem & disputantem ἡθεως, cum voluptate, tum propter doctrinam Christi, in qua non otiosas & frigidæ quæstiones de lotionibus manuum, de fricatione segetum &c. sed summa & necessaria fidei mysteria proponebat, tum propter modum docendi, quo res divinissimas perspicuè ac dilucidè cum singulari quadam sermonis εὐπρογεια & suavitate explicabat. Quamvis verò non omnes illi, qui Christum ἡθεως hic dicuntur audivisse, fuerint ex numero discipulorum Christi, cum de Herode etiam dicatur, quod Johannem Baptistam audiverit ἡθεως Marc. 6. v. 20. cumq; distinguendum sit inter suavitatem auditus externi & interiorem divinæ dulcedinis gustum Hebr. 6. 4. propiores tamen fuere regno Dei quàm Pharisei, qui consilium Dei adversus semetipsos spernebant Luc. 7. v. 30. nec discendi, sed tentandi & calumniandi animo Christum audiebant. Apparet autem ex hoc colloquii eventu. 1. eos, qui ignorant mysterium de duabus in Christo Naturis, earumq; unionem personali, non posse conciliare Scripturas, quæ in speciem sibi invicem videntur adversari. Credamus, inquit Augustinus dict. loc. Christum esse & filium Davidis & Dominum Davidis. Dominum Davidis semper, filium Davidis ex tempore. Dominum Davidis natum de substantia Patris, filium Davidis natum ex Ma-

ria virgine, conceptum de Spiritu sancto. Utrumque tenemus. Unum horum nobis erit habitatio aeterna, alterum horum nobis est à peregrinatione liberatio. Dominus enim noster Jesus Christus nisi dignatus esset fieri homo, periisset homo. Factus est, quod fecit, ne periret, quod fecit. Homo verus, Deus verus, Deus & homo totus Christus. Hæc est Catholica fides. Qui negat Dominum Christum, Photinianus est, qui negat hominem Christum, Manichæus est. Qui confitetur Dominum æqualem Patri Christum & hominem verum, passum verò sanguinem fudisse verum &c. Catholicus est. Virtutem verbi divini & cœlestis veritatis tandè confundere omnes ejus adversarios, sicut splendor Solis omnes tandem discutit nebulas, & sicut idolum Dagonis coram arca fœderis concidit. 1. Sam. 5. v. 3. 3. Humanas rationes ad divina ἑρμητικά obmutescere, ac cœca esse in rebus divinis humana consilia. 4. Christum divinam suam sapientiã non solum astutissima hostium consilia dissipare ac verbo potentia suæ eos coercere, sed etiam hominum mentes efficaciter movere & ad se pertrahere posse. 5. Deum sibi semper Ecclesiam aliquam per verbum colligere & ubique suos habere, qui verbum ipsius cupide audiunt & discunt. 6. Sicut Christus immediatè per seipsum hostes veritatis vincit, ut nemo ei resistere possit: ita quoque mediatè per sinceròs Evangelii confessores ipsum adhuc hodie hostes vincere, cum Spiritus ipsius per illos loquatur. 7. Verbum Christi non esse inanem & inefficacem sonum, sed Spiritum & vitam, proinde etiam singularem in animis auditorum habere efficaciam. 8. Deniq; sicut Christus nunquam majore gloria & virtute in diebus carnis sese conspicendum præbuit, quàm cum morti vicinus esset: ita quoque nobis Dei virtutem & salutem nunquam magis præsentem futuram, quàm cum pro ipsius nomine ad interitum carnis propius accesserimus, quàm Spiritus sui virtutem benignè nobis omnibus propter sanctissimum suum meritum largiatur.

Davidis natum ac Dominum te, Christe Redemptor, Agnosco, cum sis verus homo atq; Deus.

CAPUT CLVIII.

CHRISTUS IN SCRIBARUM ET PHARISÆORUM VITIA AC RITER INVEHITUR, AC POENAS GRAVISSIMAS EIS PRÆDICIT. MATTH. 23. v. 1. MARC. 12. v. 38. LUC. 20. v. 45.

RATIO ORDINIS.

Matthæus, Marcus & Lucas unanimi suffragio quæstioni de Christo, cujus sit filius, Phariseis à Domino propositæ, subjungunt acerrimam ejusdem in Scribarum & Phariseorum vitia invektivam. Matthæus insuper Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contem. pars secunda.

connexionis seriem monstrat per particulam ἰνα. Tunc locutus est Jesus ad turbas & discipulos suos, videlicet postquam in parabolis Phariseorum vitia tectè perstrinxisset, ac in disputationibus contra ipsos susceptis aliquoties eos ad silentium adegisset, ex quo nullâ ratione